DE STICHOMYTHIAE
IN TRAGOEDIA COMOEDIAQVE GRAECORVM
VSV ET ORIGINE.

Pars prima

DISSERTATIO INAVGVRALIS QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE HALENSI RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

ADOLPHVS GROSS
HANNOVERANVS.

HALIS SAXONVM
TYPIS WISCHANI ET BVRKHARDTI
MDCCCCIV.

In vetustissimis tragoediis Graecis primarium locum tenent cantica chori. qui cum a genere quodam dithyrambi Dionyso sacri duxisset originem, Dionysium ludum fecit tragoediam, quae omni tempore divinam suam originem professa est. sed cum subtilius excoli et a pristina gravitate magis ad cotidianae vitae consuetudines revocari coepta esset tragoedia, choricae partes una cum musica, quae in omni Graecorum poesi cum cantu artissime coniuncta erat, paulatim imminutae sunt. itaque conticescentibus choris musica et cantus in scaenam translata praecipue in monodiis amoebaeisque canticis regnabant. ita accidit, ut diverbii partes, quae a recitata poesi Ionica petitae ex alio fonte promanarunt quam lyricae partes, primo adcrescerent, deinde omnia ita superarent, ut fabulae fere vulgaris vitae imaginem reddere viderentur; neque alia de causa in hodiernis quoque tragoediis regnare diverbium apertum est. verum interest aliquid inter hodiernae tragoediae hoc diverbium et inter diverbium sublimis illius ludi deo sacrati; quod cum nostrae aetatis poetae pro suo quisque arbitrio conficiant neque excolant nisi ad vitae communis exemplum, veteres miro quodam delectati aequabilitatis studio, quod per omnes eorum artes latissime patet, diverbium ut fundamento quodam stichomythia substruxerunt.

Primum igitur, ut par est, quid sit stichomythia, interrogamus. atque in veterum libris stichomythiae vocabulum non inveni usurpatum nisi a Polluce, qui stichomythiae simplicissimam hanc exhibet explicationem IV, 113: *στιχομυθεῖν δὲ ἔλεγον τὸ παρ᾽ ἓν ἰαμβεῖον ἀντιλέγειν καὶ τὸ πρᾶγμα στιχομυθίαν.* qui cum diserte indicet sticho-

illinc adrepta male disposuit; nam quae erant coniungenda, divelluntur. hi omnes vereor ut rem recte instituerint; sed multo magis peccasse reor eos, qui in diverbiis ubique 'tacitam harmoniam' se audire adfirmant, quae 'per numeros versuum tintinet'. hanc rem primus in quaestionem vocavit Ritschl, qui in fabula quae vocatur Septem adversus Thebas certas versuum responsiones invenisse sibi visus est. ex quo tempore factum est, ut in omnibus tragoediis diverbia in certas responsiones cogerentur, quae simulatque contextus ex libidine commutatus est, statim adparent. atque eorum quidem, qui multum studii huic rei impenderunt, nomina invenies in Czwalinae disputationis 'de Eur. studiis aequabil.' Bonn 1867 praefatione; quorum maxime sedulus fuisse videtur Oeri, qui in dissertatione 'Interpolationen und Responsion in den iambischen Partieen der Andromache' totius fabulae recitatos iambos exceptis eis, quibus prologus compositus est, in aequales senorum versuum partes dividi posse opinatur. quod vero etiam Weilius et Hirzelius, viri doctrina eximii, aliquantum huic errori indulserunt, dolendum est. totam enim hanc rem e fumo constare facile potest probari; nam si quis hac ratione omnes scaenas discerpere instituit, ad mysticum quendam numerorum ludum recipiendum facile patefiunt portae; tam paucorum enim versuum finibus poetae singulas sententias plerumque solent circumscribere, ut alicui versuum numero eundem aliorum numerum respondere prorsus necesse sit. utcunque autem res se habet, quam scientiam illi condidisse sibi videntur novam, nullam eam esse neque omnino de omni illa quaestione ullum fructum capi posse arbitror. ceteros libros, quos inspexi, suo quemque loco citabo.

Aliam igitur viam ego ingrediar. de stichomythiae natura atque ortu, quamvis id praecipue initio opusculi aptum videatur, primum non loquar; quippe tenebras non ingrediar, priusquam lux mihi adfulserit, quae in tam abditas occultasque me ducat regiones. hanc vero lucem

accensum iri spero clarissimam, cum perscrutati erimus ipsas tragoedias comoediasque quas habemus, quibus delectamur; ab eis ordiundum est. sed in omni disputatione mea duplici indagandi ratione utendum mihi esse censui. primum ratione quadam analytica, ut hoc verbum a philosophis mutuer, quidquid ad cognoscendum stichomythiae usum mihi videtur aptissimum esse, ex ipsis fabulis eruam ac conferam, deinde synthetica quadam ratione, quaecunque ex illo usu possunt conligi, componam atque extruam. in quatuor igitur partes totam disputationem necesse est dividi. quarum in prima de stichomythiae forma et compositione disseram, ut quomodo hac in re poetarum consuetudines inter se differant, satis dilucidum fiat, in altera varia stichomythiae genera examinabo, in tertia de stichomythiae sermone agam, in quarta denique, quae inde concludi possint de stichomythiae natura atque ortu, exponam. hac autem via et quam formam primitus habuerit diverbium et quo modo in fabulas receptum sit facile cognoscetur; praeterea non pauca invenientur, quae ad contextum restituendum idonea esse videantur. quod vero ad citandos singulorum poetarum versus adtinet, decantata querela vel hoc loco resonat; ita in significandis versuum numeris discrepant editiones. Aeschylum igitur secundum Weilii, Sophoclem secundum Nauckii, Euripidem secundum Kirchhoffii, Aristophanem secundum Bergkii editiones citabo horumque editorum lectiones, nisi ubi correctione opus erit, prout libet, adscribam.

---

a) De stichomythiae forma et compositione.

I. Ordiundum esse mihi videtur a longioribus stichomythiis, quae una perpetuitate ad finem decurrunt, et primum quidem necesse est quaerere, quomodo eae introducantur. etenim ut architecti columnis ionicis subdere

solent basin, ne ex ipso solo videantur enasci, ita poetae in construendis stichomythiis ac praecipue longis plerumque id spectant, ut et ubi initium sit et ubi finis auribus bene percipiatur. quam rem poetae tragici ita instituerunt, ut initio stichomythiae aliquot continuos versus praemitterent, quibus stichomythiam ab antecedenti diverbio secluderent. baseos autem instar etiam ei versus habendi sunt, qui in longa *ῥήσει* ultimum locum tenentes novam sententiam subito inducunt, ita ut sequentem stichomythiam tamquam suscitent. his vero locis etsi ante eos versus, qui in stichomythiam introducunt, sermonis tenorem ita incidi credamus, ut maior in recitando fiat pausa, quae actione aliqua scaenica gestuve aliquo repleatur, tamen cum eadem persona loqui pergat, basin stichomythiae minus dilucidam esse non est negandum. huius rei exempla nonnulla in Euripideis tragoediis inveni. ita duo versus in stichomythiam introducunt in Andr. 435 — semper enim ipsius stichomythiae initium cito — Phoen. 1646, Or. 735, 1100, Bacch. 647 (cf. *ἔα ἔα!*), I. A. 513, 697. atque satis erit hoc ultimum exemplum ante oculos posuisse.

ΚΛ. οὐχ ὧδ᾽ ἀσύνετός εἰμι, πείσεσθαι δέ με
καὐτὴν δόκει τάδ᾽ ὥστε μή σε νουθετεῖν,
ὅταν σὺν ὑμεναίοισιν ἐξάγω κόρην·
ἀλλ᾽ ὁ νόμος αὐτὰ τῶι χρόνωι συνισχανεῖ. —
τοὔνομα μὲν οὖν παῖδ᾽ οἶδ᾽ ὅτωι κατῄνεσας,
γένους δὲ ποίου χὡπόθεν, μαθεῖν θέλω.

similiter tres versus in stichomythiam introducunt in Her. 610, Ion. 934, I. T. 617. ceteris vero locis, ubi illi versus ab altera personarum conloquentium dicuntur, optimo iure de basi dici posse nemo negabit. sunt autem hi: Aesch. Supp. 334, 504, Pers. 615, Cho. 107, 167, 214; Soph. Ant. 41, Ai. 38, O. R. 356, 1121, El. 940, 1023, 1176, 1450, Trach. 1181, Phil. 28, 1224; Eur. Alc. 710, 1077, Med. 308, Hipp. 90, 602, 709, Andr. 236, Hcld. 630, 656,[2])

711, Hec. 1254, Supp. 115, Her. 90, 1113, Ion. 1284, I. T. 494[3]), 1159, El. 555, 1116, Hel. 308, 1195, 1414, Or. 1023[4]), 1071, I. A. 640, 857, Phaeth. fgm. 781. nec comoediam hoc usu carere Arist. Ach. 1097 probat. rarius tres versus stichomythiae praemittuntur velut Aesch. Supp. 204, Cho. 526, Eum. 201, 418[5]); Soph. Ant. 990, O. R. 987, El. 791, Tr. 1241, O. C. 579; Eur. Alc. 374, 1126, Hipp. 1394, Andr. 1056, Hec. 242, 989, Tro. 712, I. T. 915, 1020, El. 962[6]), Hel. 553, 600, Or. 1326, 1576; Arist. Equ. 696. idem observamus Cho. 1051 et Tro. 51, ubi e binis versibus stichomythia constat. saepius etiam altera stichomythia praemittitur, quae in vetustioribus tragoediis brevis est binosque versus continet, in posterioribus amplioris distichomythiae formam consequitur; qua re magis gradatim ad concitatum conloquium progreditur sermo. hanc vero consuetudinem, utpote quae excultioris artis signa prae se ferat, in posterioribus demum tragoediis latius patere consentaneum est; sed utrum e poetarum arbitrio atque voluntate an e natura diverbii haec forma deducenda sit, hoc quidem loco nondum explicari potest. exempla sunt haec: Aesch. Supp. 294[7]), Prom. 386; Soph. Ant. 548, 730, Ai. 529, O. R. 557, 1444, El. 319, Tr. 1126, Phil. 1380; Eur. Alc. 807, Med. 667, Hipp. 315, Andr. 583, 906, Hcld. 63, 683, Hec. 761[8]), Suppl. 754, 1052, Ion. 264, 1406, Tro. 69, Hel. 445, 779, Poen. 389, Or. 1181, Bacch. 802.

Sed iam in Prometheo novae cuiusdam rationis inveniuntur vestigia, qua Aeschylus viam, quam eo usque secutus est, derelinquit. acerbissimae enim rixae (v. 964 sqq.), quae inter Mercurium et Titana cum ingenti animorum ardore utrimque pariuntur, primo distichis compositae sunt, deinde novo aliquo schemate quod est 1—2; namque ita dispositae sunt vices sermonum, ut altera persona singulos, altera binos versus habeat, unde paulatim ad ipsam stichomythiam transitur. huius autem schematis ipse Aeschylus inventor fuisse videtur, quippe qui in eadem fabula eo usus sit v. 40—81, ubi eo longiorem

versuum seriem comprehendit. hanc autem altercationem stichomythica forma composuisset poeta, nisi Vulcanus, dum ferocem Titana saxo infigit, labore impediretur, quominus binos continuos versus recitaret. Apertum autem est hoc schema extructum esse in basi 3—1. persimilem formam haberemus in Eum. 117—128, si G. Hermannum sequeremur, qui chorum Eumenidum per μυγμόν et ὠγμόν singulos totos versus explere opinatus est. etenim tum hic locus ita compositus esset, ut chorus gravi somno oppressus postquam a Clytaemestra binis versibus, ut officii sui ne oblivisceretur, stimulatus est, quasi singulis versibus responderet suspirans gemensque. etsi vero hanc eximii viri opinionem veram esse non arbitror, tamen miram quandam versuum concinnitatem a poeta adpetitam esse mihi quoque persuasum est. schema autem illud, ut primum inventum est, a Sophocle saepius usurpatum esse non miramur. qui saepius id incipiendae stichomythiae praemisit: O. R. 99, 935, 1001, El. 668, O. C. 465, alibi, ubi alacrius fit conloquium, totum sermonem eo inclusit: Ai. 791—802 (1—2), Tr. 663—673, 738—748, Phil. 317—333 (2—3). ubicunque vero eo utitur, non temere hoc facit, sed ad vim scaenicam augendam. ne Euripides quidem, quem in componendis stichomythiis severissimum esse cognoscemus, hanc formam plane respuit; namque et in Phoen. 596 et in Bacch. 463, dummodo recte interpreteris hos locos, stichomythiae basin, quam dico, eo modo a poeta conformatam esse invenies[9]. ut autem genuinae stichomythiae plerumque duo versus praemittuntur, ita uno integro versu introduci cognovi antilabas duobus locis, O. R. 1516 et Phoen. 1272; sed de antilabis suo loco explicatius erit dicendum. chorum vero nisi eis locis, ubi ipse alterni sermonis particeps fit, non recitare versus, qui stichomythiam succedentem suscitent, sed aptissime concludere potius antecedentem sermonem, cum omnium locorum sententiis probatur tum inde cognoscitur, quod, cum metrum ex iambico in trochaicum mutatur, chorus,

quo maxime utitur metro, eo loqui pergit, scilicet iambico.

II. Magnopere operam dederunt poetae, ut stichomythiam certis terminis circumscriberent, qui auribus percipi possent. itaque sicut disticho saepius introducitur sermo alternus, ita distichon interdum eum concludit. habemus exempla haec: Aesch. Supp. 322, Prom. 780, Sept. 811[10]), Ag. 1672, Cho. 181, 929[11]), Eum. 607, 731 (ubi disticha tribus versibus clauduntur); Soph. Ant. 221, 524, 559, 758, O. R. 447, El. 415, 797, 1050, 1344, O. C. 483; Eur. Alc. 150, Hipp. 282, 804, 1457, Supp. 161, I. T. 75[12]), El. 905, Bacch. 845. in omnium igitur temporum tragoediis hanc rem a poetis ita institutam esse intellegimus. sed quid de choro? ut nunquam in stichomythiam solet introducere, ita non magis eam concludit; nam in uno loco, qui ad confirmandam contrariam opinionem potest videri aptissimus, rem aliter sese habere puto. in Alc. 392 enim postquam regina suos supremum adlocuta coniugi atque liberis acerba morte erepta est, chorus cum gravi sono recitat v. 392:

βέβηκεν, οὐκέτ᾽ ἔστιν Ἀδμήτου γυνή.

quae verba audientium animos vehementer percutiunt, cum omnem maerorem, quem funestus dies creavit, omniaque mala una sententia comprehendunt. hunc autem versum antecedentem non concludere stichomythiam, sed ab ea tamquam traducere arbitror audientis animum ad insequens carmen, quod puerulus ad matris corpus cantat; nam illa chori verba non sine magna vi ac gravitate a puerulo repetuntur v. 394:

βέβακεν, οὐκέτ᾽ ἔστιν, ὦ . . .

quam explicationem si respueris, uno hoc loco regulam illam violari concedendum erit, sed excusatio in promptu est, cum duarum personarum conloquentium una moriatur, altera gravi maerore oppressa vocem proferre nequeat.

Sophocles autem fini stichomythiae interdum disticha adserere solet, velut in Ai. 114, O. R. 1069, El. 930.

quam rationem cuius primum exemplum invenimus in Aeschyli Cho. 779, Euripidem omnino repudiare videmus. sed etiam aliam rem Sophocles, cuius permagna est inveniendi ubertas, excogitasse videtur; etenim aliquot locis, ubi ex alacri sermone alterno quasi gradatim ad sedatius conloquium transitur, stichomythiam schemate 2—1 claudit: Tr. 1126, Phil. 34, O. C. 27. quae conformatio quamvis neque ab Aeschylo neque in universum ab Euripide adhibeatur, tamen ab Euripide sene, cum ad antiquioris tragoediae morem denuo sese adplicaret, semel videtur recepta esse in Bacch. 842 sqq.[13])

Amant denique poetae aliquot locis fini stichomythiae adiungere antilabas, de quibus accuratius nunc agendum est. apud Aeschylum eae omnino non occurrunt nisi in media stichomythia in Prom. 980, quem versum, sicut traditus est, servari oportet perinde atque I. Aul. 310, qui simili cuidam animorum adfectioni originem debet[14]); verum continuas antilabas easque ad stichomythicam formam propius accedentes Aeschylus nondum exhibet. tales autem apud Sophoclem in omnibus praeter Antigonam tragoediis occurrunt; ex Euripideis tragoediis Alcestis, Medea, Hippolytus, Andromacha, Heraclidae, i. e. fabulae antiquiores, et ex posterioribus Troades eis carent. antiquissima igitur exempla in Hec. 1283 sq. et in Her. 1417—1421 inveniri docuit Wilamowitz in 'Anal. Eur.' p. 195, paucissimos sane versus et in integrae stichomythiae fine positos, frequenter autem usurpatas esse eas in Euripidis fabulis Electra posterioribus et in Ione, ac praecipue in tetrametris trochaicis, quibus Sophocles non sine antilabis iam in Oedipo Rege, in Hercule demum et sine antilabis usus esset Euripides. series autem antilabarum una perpetuitate ad finem decurrentium saepius uno integro versu clauditur: Ai. 595, O. R. 630, 1177, 1523, O. C. 334 Phoen. 1279. omnia vero haec cum tamquam obiter adtigerimus, de eis tantum antilabis accuratius dicere in animo est, quae longiorem stichomythiam concludunt.

non paucos sane locos ea ratione esse compositos intellegemus, ut ad augendam scaenicam gravitatem valeant; verum unaquaeque res ubi primum inventa est, initio per artem colitur, ubi vero inveteravit, licentia cum arte miscetur. Euripides primo rem ita instituit, ut ubicunque stichomythia iam tam concitata erat, ut ad vehementissimas sermonis vices excipiendas non iam sufficeret, adderet antilabas easque perpaucas. unde factum est, ut vel unum versum inter actores distribueret: Hipp. 352, Or. 1598, I. A. 739, vel ultimo stichomythiae versu tripliciter discerpto ab Aeschylea severitate plane discederet: Alc. 1119, Or. 1524. ab his locis non licet secerni eos, in quibus persona aliqua aut moribunda supremum loquitur aut per vim abducitur; hic enim animorum vehementissimi motus unum vel plures versus discerpi postulant, ut externa forma cum animorum trepidatione quam maxime congruat. idem valet de Euripidis I. A. 1459 sq., 1464 sqq. et de Soph. Electr. 1220 sqq., qui loci ad vetustioris tragoediae ἦθος proxime accedentes certa quadam versuum responsione compositi sunt. denique ubi personae abiturae suis supremum valedicunt, antilabas etiam sine antecedenti stichomythia adhibere poetae solent: O. R. 1516 sqq., Phil. 1402 sqq., Ion. 1616 sqq., Bacch. 966 sqq. manifestum est autem poetas hac forma, quae posterioris potius tragoediae propria est, singulare quoddam consequi ἦθος, quod veteris tragoediae ἤθει simillimum est. fit vero et in Sophocleis et in Euripideis tragoediis, ut vel complures versus inter duas personas divisi ac discerpti stichomythiam concludant; atque non sine vi quadam dramatica, postquam singuli singulos versus recitaverunt, ubi magis exardescunt, singuli versus inter binos distribuuntur: Ai. 591, 981, O. R. 626, 1173, El. 1279, Phil. 1254, O. C. 652; Hec. 1283, Hel. 1630, Phoen. 603, 980, Or. 1600. at continuas has antilabas cum Sophocles semper certis finibus circumscribat neque eas diffuse velit regnare, Euripides nonnunquam tamquam in herbam

exire sinit neque alia de causa usurpat nisi quod conloquio idoneam simul addere vult varietatem: Ion. 530—562, I. T. 1203—1221, Or. 774—798, I. A. 1341—1368. namque his locis animos conloquentium vehementius commotos esse vixdum adfirmari posse credo.

III. Priusquam ad ea accedamus tractanda, quae ex omni hac quaestione concludenda sunt, necesse est intellegamus, et quibus locis et quibus de causis stichomythiae interrumpantur. nam vel ei quidem, qui antea de hac re scripserunt, non semper sermones alternos una perpetuitate labi intellexerunt; sed in causis eius rei indagandis etiamsi de aliquot locis nonnulli recte iudicasse videntur, plurimi tamen, cum parum diligenter in stichomythiae usum inquisivissent perque omnes tragoedias regnare arbitrarentur easdem leges certas ac definitas, aut lacunas perperam statuerunt aut versus eiecerunt optimos falsa inquirendi ratione usi. ideo illi quam sibi comparavisse videantur cognitionem, imperfectam eam esse statuo atque mancam. nos vero dum hanc rem pervestigamus, cavere debemus, ne, quidquid eruimus, statim pro regulis vendamus; nam regulas, quaecunque excogitatae sunt, ipsa ars transilit; verus artifex dominus est, servus nititur regulis. deinde accedit quod etiam scaenicae actioni aliquid tribuere debemus, si eos locos, quibus pausam aliquam in recitando fieri oportebat, recte tractare volumus. praecipue autem id spectare debemus, ne credamus, qua quisque iuvenili ingenio praeditus ratione in componendis diverbiis usus sit, eadem usum esse senem. etenim quivis nostrae quoque aetatis poeta vel pictor vel musicus singulari quodam modo ingenium suum excolit; neque eadem componendi ratione usi sunt Goethe vel Beethoven, donec erant adolescentes, atque cum aetate conficiebantur. itaque turbatam si vides stichomythiam, cave mireris neve extemplo de lacuna vel de interpolatione statuenda cogites; verum cum aliae causae aut a sententiarum conexu aut a grammatica petitae accesserint, tum demum locum,

de quo quaestio est, vitii suspicionem habere vere iudicabis.

Primum igitur consuetudines poetarum videntur cognoscendae esse; et iam in Aeschyleis tragoediis inveniuntur loci, quibus stichomythia turbatur, idque tam certe, ut nemo eos corruptelis depravatos esse opinari possit. in Prom. 615 sqq. alternantes inter Prometheum et Io versus duobus continuis Ius trimetris interrumpuntur; etenim Io postquam in priore conloquii parte Prometheum interrogavit, quibus iniquissimis rebus in tanta mala delapsus esset, in altera quae sibi ipsi immineant fortunae, e vaticinante deo conatur sciscitari. parta igitur nova dicendi materia, praesertim cum verba *καὶ πρός γε τούτοις* 622 ad v. 614 respiciant, disharmonia quaedam cooritur totaque stichomythia in duas partes dividitur. simile quiddam observatur in I. T. 805 sqq., ubi stichomythia interrumpitur duobus Orestae continuis trimetris, quibus ille Iphigeniae, quae eum fratrem suum esse credere non vult, signa proferre incipit. quod Euripides ita instituit, ut primo Orestam cum sorore de eis rebus, quas ex Electra audivit, conloquentem faciat, tum inde a verbis *ἃ δ' εἶδον αὐτός* 822 continua versuum serie ea, quae ipse potest addere, explicantem. itaque etiam hoc loco dissoni aliquid enascitur, unde stichomythia in duas partes dilabitur.[15]) eodem rettulerim alium locum, qui maximas dubitationes movit, praesertim cum in codd. personae male indicatae sint, neque adhuc a quoquam sanatus esse videtur, Aesch. Supp. 291 sqq. dico. totam enim hanc narrationem stichomythica forma compositam dummodo inter personas recte distribueris omnemque praeiudicatam opinionem abieceris, in duas partes discindi intelleges.[16]) nam v. 310 sq. rex duobus versibus stichomythiae perpetuitatem interrumpit, ita ut nova dicendi materia adlata disharmonia quaedam creetur. Sophoclea autem stichomythia minus artificiose partita est.

Sed revertor ad Aeschylum. etenim priusquam pluri-

mis formis effloruerit poesis tragica, novum quoddam interruptae stichomythiae invenimus exemplum in Cho. 766 sqq., qui sermo alternus quatuor continuis versibus intercipitur, cum personarum conloquentium altera subito novum init consilium. luculentum vero eiusdem rei exemplum depromitur e Bacch. 1263 sqq., ubi stichomythia duobus continuis versibus interrumpitur, quia Agaue, quae adhuc bacchico furore tacta insaniebat, sanam mentem subito recuperat.[17]) neque excludendos esse reor ab hac classe Hec. v. 739 sqq., ubi disticha, cum a dubitando atque haesitando ad certum consilium avocat animum regina, non quinque, ut Funke opinabatur, sed tribus Hecubae versibus interrumpuntur; nam v. 752 sq. sequentis stichomythiae pars sunt. eodem Alc. 1119 sqq. pertinere puto, ubi Admetus longa cum Hercule altercatione facta aegre commotus, ut mulierem, quam extraneam esse putat, contingat domumque deducat, subito uxorem suam agnoscit. plerisque vero locis, ubi medius interrumpitur sermo alternus, distichon solet inseri. hanc tamen rationem nisi illis, quos cum arte quadam partitos ac divisos esse intelleximus, locis Aeschylus non suscepit, quippe qui omnes ceteras stichomythias simpliciter composuerit, ita ut una sententia per omnes versus ab initio usque ad finem regnaret. apud Sophoclem praecipue in Oedipo Rege huius rei exempla quaedam occurrunt memoria dignissima.[18]) etenim stichomythia, quae fit inter regem et Tiresiam in v. 356 sqq., turbatur duobus versibus, simulac rixae partae sunt; neque ob aliam causam v. 557 sqq. interrumpuntur duobus distichis insertis. praeterea O. C. 579 sqq. huc pertinere adparet. verum ne Euripides quidem, quamvis severus in stichomythia componenda, ab hac ratione discedit. primum enim in El. 1116 sqq. sermonis vices aliquot versibus interrumpi videmus, quod, dum sermo de partu Electrae instante exoritur, nova dicendi materia adfertur. simillime in Phoen. v. 903 sqq. et 911 sqq. interrumpunt stichomythiam, quae est inter Creontem et

Tiresiam, quia utroque loco dicendi materia mutatur. sed et hunc Electrae locum et illum Phoenissarum aliquantum ab Euripidea consuetudine abhorrere et ad Sophocleum morem propius accedere apertum est; facillime enim utrobique stichomythiam potuisset continuare. denique in Hcld. 677 priorem sermonem alternum, qui erat de exercitus amplitudine et de acie instructa, ita concludit poeta, ut duobus trimetris dicentem faciat servum se iam in proelium abiturum esse; ideo servum ampliorem altercationem praecisurum fuisse adparet, nisi Iolaus subito verbis *κἄγωγε σὺν σοί* se una cum eo ire velle dixisset. unde fit, ut novus sermo alternus incipiat, quo servus Iolaum, quominus proelii pericula subeat, prohibere conatur. itaque hoc loco non de interrupta stichomythia, verum de duabus stichomythiis diversis dici oportere crediderim.

Amplissima vero interruptae stichomythiae exempla e Sophocleis tragoediis possunt congeri eaque Sophocli peculiaria. itaque Antigona, quae singulare nihil continet, omissa Aiacis v. 74—117 examinemus. namque in hac tragoedia poeta etsi longiores stichomythias una perpetuitate saepius componit, tamen iam maiorem quandam libertatem sibi sumit, quae tamen posteriorum tragoediarum licentia longe abest. primum enim versus illi alternantes, quos commemoravi, interrumpuntur v. 89—95, quod nova persona accedit ad eas, quae eo usque conloquium fecerant. qua occasione data paulo accuratius in omnes eos locos inquirendum est, ubi tres personae stichomythiae participes fiunt. huius rei duo genera videntur distinguenda esse. nam tertia illa persona aut antea extra scaenam commorata subito ad personas conloquentes accedit et cum altera earum sermonem confert, aut dum in scaena iam adest, subito sive aliquid facere iussa sive vehementi aliqua animi commotione excitata in sermonem impellitur. utroque autem genere dum Aeschylus omnino caret, utpote qui versus alternantes inter duas tantum personas

distribuat, Sophocles et Euripides pariter, quamquam diverso modo, usi sunt. atque primo obtutu, ubicunque tertia persona in scaenam prodit sermonisque alterni particeps fit, dum cum altera personarum conloquentium confert sermonem, stichomythia interrumpi videri potest. cuius rei haec habemus exempla: Ai. 89 sqq., 1044 sqq., O. R. 78 sqq., Hel. 553 sqq., I. A. 303 sqq., 819 sqq., 1338 sqq. at rem aliter se habere mox videbis. etenim hos locos si accuratius aspexeris, non unam stichomythiam eamque interruptam per totam scaenam pertinere cognosces, verum inde ab eo versu, quo nova persona inducitur, novam incipere stichomythiam. nam etsi, ut in mentis adfectibus par est, paucissimi tantum versus inter utramque stichomythiam interiecti sunt, tamen opinionem meam eo confirmari credo, quod et tertiae personae accessu tota ut ita dicam facies scaenica immutatur et aliquot locis vel diverbii forma mutatur. nam I. A. 303 sqq. prior stichomythia trimetris iambicis, altera tetrametris trochaicis constat; deinde in alia eiusdem fabulae scaena v. 819 sqq. primo longa distichorum invenitur series, tum vero, simulatque accessit nuntius, stichomythia quae proprie dicta est incipit eaque tetrametris trochaicis composita; denique tertio loco v. 1338 sqq. prior stichomythia duobus continuis tetrametris concluditur, sed postquam Achilles in scaenam prodiit, antilabae usque ad finem decurrunt. duos tantum locos inveni, quibus sermo alternus tertiae personae accessu re vera interrumpitur, Phil. 965 sqq. et 1286 sqq. qua enim omnino in ultimis tragoediis utitur licentia, ea his locis Sophocles cum primum Ulixes in scaenam prodiit, et v. 974 et v. 1296 discerpsit. alterius autem generis, cuius proprium est personam iam antea praesentem aut facere aliquid iussam aut adfectu commotam sermonis participem fieri, exempla haec sunt: Soph. Ant. 548 sqq., O. R. 950 sqq., 1142 sqq., El. 1098 sqq., 1339; Eur. I. T. 735, El. 553, Heid. 253, Hec. 1280, Phoen. 1646. qua in re optime diversitas, quae est inter Sophoclem et Euripidem cognoscitur.

etenim cum apud Sophoclem omnibus illis locis sermo alternus aliquot versibus interrumpatur — quamquam etiam his locis binas stichomythias distinguendas esse nescio an statui possit —, Euripides nimis artificiose rem ita instituit, ut una eademque stichomythia longam versuum seriem amplectatur. restant denique aliquot loci, quibus quamquam tres personae loquuntur, stichomythia interrupta non est. primum enim in Eur. Hcld. 665 Alcumena postquam nuntium interrogare coepit, ilico loquentis partes relinquit, neque tamen stichomythia turbatur.[19]) deinde huc referendi sunt Her. 1403 sqq., El. 612 sqq., Phoen. 596 sqq., Or. 1231 sqq. (quo de loco infra agam); sed etiam Soph. El. 666 sqq. huc rettulerim, ubi Electra ad se ipsam conversa bis singulos versus recitat.

Sed Aiacis illi versus, a quibus profecti sumus, turbantur etiam v. 101 sq., quibus tamquam summa rei continetur, cum Minerva de exercitu Atridisque sciscitata Aiacem interrogat, quidnam Ulixi inimicissimo acciderit. hac quoque in re perspici potest, quam diversa Sophoclis componendi ratio sit ab Euripidea; nempe illum post v. 101 quemlibet Aiacis versum, fortasse v. 103, ut stichomythia continuaretur, inserturum fuisse spondere ausim. praeterea etiam ex Trach. 417 sqq. intellegitur, quantum in hac re utriusque poetae consuetudines inter se differant. sed vel O. R. v. 1171 sqq. huc pertinent, ubi res nuntiata tanti momenti est, ut statim succedant antilabae; idem valet de El. 924 sq., O. C. 599 sqq. denique tertium turbatae stichomythiae exemplum, quale neque apud Aeschylum neque apud Euripidem invenitur, praebent Ai. v. 105 sq., quibus versibus heros omnem iram omneque infestum gaudium ostentat, cum iam manibus sese tenere crudelique supplicio adficere posse opinetur adversarium. ita Aiacis mores efficacissime exprimuntur. nec minore iure Sophocles duobus versibus interrumpit stichomythiam O. R. 934 sqq., nempe eo consilio, ut nuntii loquacis mores depingat. eodem artificio in initio conloquii inter

nuntium et Oedipum habiti utitur v. 1002 sq. et 1005 sq., ubi Oedipi vehementissima commotio nuntium non sinit longum fieri. de El. 310 sqq. iam recte disseruit Kaibel.[20]) idem spectans eodem modo egit Euripides in Hel. v. 1197 sq., quibus continuis versibus Theoclymeni mores optime illustrantur.[21])

Iterum ad Sophoclem revertor. in Antigona perraro interrumpi stichomythiam neque unquam unum versum inter duas personas distribuere poetam iam diximus. in Aiace autem etsi aliquanto saepius stichomythia turbatur, in universum tamen aequali eam currere perpetuitate cognovimus; ubicunque vero ad tragicam vim augendam idoneum poetae videbatur, continuis antilabis usus est. at in Oedipo Rege dum antilabas eisdem fere cancellis circumscribit atque in Aiace, — nam semel tantum unus versus discerpitur v. 1119, ut nuntii indoles depingatur — medios sermones alternos frequentissime interrumpit.[22]) quotienscunque enim sive personarum mores explicare sive alacriorem sermonem retardare poeta vult, ita rem instituit, ut disticho inserto quasi gradatim ex commotiore conloquio ad sedatiorem sermonem alternum transeatur; contra ubi concitatiore conloquio opus est, versibus quoquo libet modo inter personas dispertitis sermonis alacritatem violentiamque auget. unde fit, ut etiam mediae stichomythiae interrumpantur schemate 2 - 1 vel 1—2, cuius rei quaevis fere scaena exempla subministrat. sed cum in illis, de quibus verba feci, tragoediis antiquioribus stichomythiae integris semper versibus insertis turbantur, in ultimis quatuor tragoediis etiam versibus discerptis stichomythias quasi dilacerare omninoque in diverbio versus discerpere amat poeta, ut eam, quam comoedia habet, licentiam fere aequaverit. quin in Philocteta eo progressus est, ut et v. 54 in medio trimetro longam ῥῆσιν inciperet et severam illam stichomythiam 1224 sqq. turbaret versibus discerptis 1247—1249 sine ulla scaenica aut tragica necessitate.[23]) adeo autem omnia haec licentiae

genera in ultimis fabulis luxuriantur, ut severa stichomythia raro occurrat. itaque exceptis dumtaxat ultimis Trachiniarum scaenis integras stichomythias non inveni nisi in Phil. 100—122, 1224—1246, 1380—1392, O. C. 64—76, 642—655, easque brevissimas. verum propter omnes has causas diverbii, quod vere dramaticum possit adpellari, inventorem Sophoclem fuisse proclamamus, quem hac in re neque Aeschylus superavit neque Euripides, quamvis multis de causis ei longe praeferendus, unquam adaequavit. ingens autem illa diverbii Sophoclei gravitas unde nata sit, postea in alia quaestione tractanda etiam clarius perspectum iri spero.

Sed ab omni hac licentia, cui in ultimis tragoediis indulget Sophocles, Euripides prorsus se abstinuit. is enim praeter paucos locos, qui ad Aeschyleum morem propius accedunt, peculiarem quandam excoluit artem: quippe interdum turbari sinit stichomythiae perpetuitatem, cum personarum motus aliqui gestusque longiorem in recitando fieri pausam postulant. luculentum huius rei exemplum habes in El. 555 sqq., qui versus turbantur, dum Orestes valde mirari sese confitetur (cf. ἔα), cur senex se oculis tamquam perfodiat. turbantur etiam Her. v. 1394 sqq. duobus versibus, quia iam profecturus est heros, cum patrem senem conspicit.[24]) quid quod in I. T. 69 sq. Orestes duos continuos loquitur versus, quoniam pausam fieri necesse est, dum et ipse et Pylades oculis circumspiciunt, num quis de improviso se adgrediatur.[25]) eadem venia conceditur interruptae stichomythiae in Bacch. 930 sqq.[26]). unum vero huiusmodi exemplum iam apud Aeschylum in Supp. 204 sqq. me invenisse credo, ubi turbari videtur stichomythia duobus versibus, quia chorus in saxum escendit.[27]) ceterum semel etiam Sophocles eodem modo egit. namque in Ai. 529 sqq. severa stichomythia turbatur v. 541 sq., quia Tecmessa Eurysacen parvulum adduci iubet; iubentur autem personae quaedam mutae, quae

post scaenam versantur, ita ut Tecmessa et aliquot passus facere et manu nutare debeat.

Cognita igitur trium poetarum hac in re tractanda consuetudine, ad reliquos locos accedamus, quibus sermonis alterni perpetuitas laedi videtur; nunc enim eo perventum est, ut de omnibus his locis recte iudicaturos nos esse speremus. atque Sophoclis quidem traditos versus dumtaxat stichomythicos ab editoribus intactos mansisse mirum non est; sed Aeschyli Euripidisque stichomythicae partes, quoniam nimis artificiose atque exquisite compositae sunt, admodum saepe editoribus in suspicionem venerunt. sane in Prom. 255 sqq. integram stichomythiam recte restituit Welcker[28]), itemque in Ag. 1202 sqq. versibus transpositis omnia ordinavit G. Hermann.[29]) sed in Sept. 712 sqq. non est, cur a tradito versuum ordine recedatur.[30]) praecipue autem a temerariis mutationibus abstinendum est in Prometheo[31]); quae cum a ceteris Aeschyleis tragoediis immensum quantum discrepet, peculiari cautione eam necesse est tractari. itaque ut iam v. 40-81 et v. 377-385, ubi schemata 2, 2, 2-1, 2-1 stichomythiam antecedunt, novum componendi genus excoluisse poetam intelleximus, ita v. 964 sqq. praeter personarum notas nihil audeo mutare.[32]) deinde Euripidearum tragoediarum aliquot loci nimia quadam sedulitate in dubium vocati sunt, dico Ion. 936 sq.[33]), I. T. 735 sq.[34]), Phoen. 710 sq.[35]), I. A. 1438 sq.[36]); quorum nullus versus adtrectari debet. ex magno vero Euripideorum locorum numero, in quos virorum doctorum suspicio cecidit, re vera perpauci sunt, quibus singuli versus aut interciderint ut Supp. 763 sqq.[37]), El. 651[38]), 961 sqq.[39]), Bacch. 651 sqq.[40]), aut interpolati sint ut Alc. 817 sqq.[41]), Hel. 780.[42]) denique de stichomythiis, quae in comoedia inveniuntur, in hac disputationis parte nondum egi, quia et rarissime usurpantur et, ut sunt brevissimae, ita eadem licentia compositae atque ultimarum Sophoclearum tragoediarum stichomythicae partes. itaque nihil novi inde disci potest.

hoc tamen monendum est Aristophanem neutiquam contineri, quin versus licenter discerpat aut stichomythiam interrumpat quamvis brevissimam; quippe omni tempore comoedia omnia vincula perfringit, ut risus moveatur plausumque dent auditores.

IV. Iam eo perventum est, ut munita quae per multas angustias materiaeque asperitates nos circumduxit via iam dicendum sit de eis, quae ex hac disputatione efficiuntur, quae profecto non parvi erunt momenti. vetustissimas enim Aeschyli tragoedias perscrutati pro certo cognoscimus tria esse elementa, quibus coniunctis ac contextis susceptae et in lucem editae sint. primarium locum tenent chori cantica, quae e dithyrambo, qui ab Aristotele vocatur, orta melicam originem prae se ferunt. quae res maxime conspicua est in Supplicibus, quae tragoedia certe non post Salaminiae pugnae tempora acta[43]) sublimis lyrici carminis magis instar esse videtur quam dramatis, praesertim cum ut trilogiae prima pars nihil fere praebeat nisi expositionem. accedunt ad chori cantica *ῥήσεις* actoris, quae ex alio fonte manarunt; etenim epicam eas ducere originem et ratione dicendi et admissis ionismis epicorum carminum propriis satis probatur; ac recepta demum heroica fabula Phrynichus Aeschylusque veram tragoediam creaverunt. sed ut prima haec et potissima tragoediae elementa, chori canticum dico et narrationem actoris, artissime inter se conglutinarentur, tertium aliquid accederet necesse erat, quod vinculi instar diversa haec genera contineret, diverbium dico inter chorum et actorem. itaque aut actor ipse cantu canticis chori respondere debebat, id quod fieri videmus in Bacchylidis carmine quod inscribitur *Θησεύς* (XVIII), ubi Aegeus et cives Athenienses quatuor strophas in vicem canunt, aut chorus et ipse iambos sive trochaeos recitare. cantatum illud diverbium num in tragoedia ante Aeschylum latius patuerit, nescimus; certe commum, quem iam in Supplicibus satis excultum videmus, cantati talis diverbii specimen esse non sine probabilitate statuas.

recitandi autem officium a toto choro ad unum cantorem translatum est, quem coryphaeum vocari notum est. ita in vetustissimis Aeschyleis tragoediis, in quibus plerumque unus actor cum choro conloquitur, adhuc inveniuntur rudera ῥήσεων coryphaei, sed propter brevitatem aegre cognoscuntur, velut Suppl. 327—331, Pers. 173—175, 215—225, Sept. 677—682; saepius occurrunt in Orestia. plerumque autem earum ambitus iam in vetustissimis tragoediis adeo recisus est, ut ternorum vel quaternorum versuum numerum vixdum excedat velut Supp. 246—248, 274—276, 1014—1017. itaque iam apud Aeschylum, multo autem magis apud Euripidem adeo imminutas esse tales coryphaei partes recte observavit Wilamowitz in 'Heracles' II, 60, ut coryphaeus nihil dicat nisi vel duos vel tres vel quatuor versus, eo nimirum consilio, ut longum sermonem actoris claudat aut, cum inter duas longas ῥήσεις aliquot versus recitat, idoneam simul varietatem efficiat; neque tamen unquam fit, ut unum tantum versum recitet coryphaeus. eo magis mirandum est, quod Euripides in Supp. 263—285, Her. 252—274, Phoen. 280—287 longas coryphaeo ῥήσεις tribuit, id quod eum ad vetustissimarum tragoediarum exemplum fecisse recte statuere mihi videor. sed ab hoc inter coryphaeum et auctorem diverbii genere, quod non tam extrinsecus tragoediae nascenti inlatum, sed ex chori et actoris coniunctione sponte procreatum esse censeo, toto caelo distat illud diverbii genus, de quo in hac disputatione agimus, stichomythia. haec igitur tertium tragoediae elementum est et totius quasi aedificii fundamentum. atque Aeschylum ubicunque in prioribus tragoediis sermone alterno utitur, diligenter in eo componendo versari atque illud intendere ut rarissime stichomythiae perpetuitas interrumpatur intelleximus. quin dum singulis unius personae versibus singulos alterius adnectere studet, eo pertinaciae processit, ut et ipse iam versus ineptos intermisceret; quo de vitio in tertia huius opusculi parte accuratius acturus sum, ubi tamen cum

eis, quae de diverbii origine erui possunt, artissime id cohaerere adparebit.

Sed iam inde a Supplicibus stichomythiae perpetuitatem aliquoties turbari vidimus. par autem erat primo et initio et fine eas dilabi, quae res quanti momenti olim esset futura, Aeschylum certe non praesagivisse puto. mox factum est, ut etiam media stichomythia turbaretur, cuius rei exigua vestigia iam in Supplicibus inveniri non est quod miremur. namque etsi iam ante 480 conditam esse arbitramur hanc tragoediam, multum tamen temporis interiectum erat, ex quo Thespis primus praeclare illud consilium cepit, ut melicas partes cum epicis coniungeret, neque interea Phrynichus Aeschylusve inertes fuerunt.

At iam in vetustissima tragoedia praeter stichomythiam aliae diverbii partes occurrunt ita compositae, ut utraque personarum conloquentium aliquot continuos versus dicat; verum rarae hae et ad vitae communis morem propius accedentes. quae unde ducant originem, etiamnunc cognosci potest; nam cum exiguum versuum spatium comprehendant ac stichomythicis partibus finitimae sint, quin e contritis stichomythiis ortae sint, nullus dubito. itaque cavendum est, ne certas versuum responsiones his potissimum partibus obtrudamus; qua de re post erit dicendum. huc pertinent, si ex antiquissimis tragoediis testimonia congerere satis est, Supp. 324 sqq., 490—503, 600—604, 911—914, 950 sq., Pers. 155—158, 299—301, 348—352, 433—446, Sept. 792—802, Prom. 742—756, 997—1006. optime vero hoc diverbii genus Aeschylus excoluit in Orestia, in qua quamquam stichomythiae admodum frequentes sunt, tamen etiam hoc liberius diverbium ad artis fastigium evectum est. quod ut uno inlustri exemplo confirmem, adscribo Cho. 885—903; cuius loci gravitatem ac magnificentiam poeta eo consecutus est, quod summa in componendis versibus libertate adsumpta nulli personae plus minusve tribuit versuum, quam quot ad efficiendam scaenicam et tragicam vim idonei visi sunt:

ΚΛ. τί δ' ἐστὶ χρῆμα; τίνα βοὴν ἵστης δόμοις;
ΟΙ. τὸν ζῶντα καίνειν τοὺς τεθνηκότας λέγω.
ΚΛ. οἲ 'γώ! ξυνῆκα τοὔπος ἐξ αἰνιγμάτων.
δόλοις ὀλούμεθ', ὥσπερ οὖν ἐκτείναμεν.
δοίη τις ἀνδροκμῆτα πέλεκυν ὡς τάχος·
εἰδῶμεν εἰ νικῶμεν, ἢ νικώμεθα.
ἐνταῦθα γὰρ δὴ τοῦδ' ἀφικόμην κακοῦ.
ΟΡ. σὲ καὶ ματεύω· τῶιδε δ' ἀρκούντως ἔχει.
ΚΛ. οἲ 'γώ! τέθνηκας, φίλτατ' Αἰγίσθου βία.
ΟΡ. φιλεῖς τὸν ἄνδρα; τοιγὰρ ἐν ταὐτῶι τάφωι
κείσει. θανόντα δ' οὔτι μὴ προδῶις ποτέ.
ΚΛ. ἐπίσχες, ὦ παῖ, τόνδε δ' αἴδεσαι, τέκνον,
μαστόν, πρὸς ὧι σὺ πολλὰ δὴ βρίζων ἅμα
οὔλοισιν ἐξήμελξας εὐτραφὲς γάλα.
ΟΡ. Πυλάδη, τί δράσω; μητέρ' αἰδεσθῶ κτανεῖν;
ΠΥ. ποῦ δὴ τὰ λαμπρὰ Λοξίου μαντεύματα
τὰ πυθόχρηστα, πιστὰ δ' εὐορκώματα;
ἅπαντας ἐχθροὺς τῶν θεῶν ἡγοῦ πλέον.
ΟΡ. κρίνω σε νικᾶν, καὶ παραινεῖς μοι καλῶς. —
ἕπου, πρὸς αὐτὸν τόνδε σὲ σφάξαι θέλω.
καὶ ζῶντα γάρ νιν κρείσσον' ἡγήσω πατρός·
[τούτωι θανοῦσα συγκάθευδ', ἐπεὶ φιλεῖς
τὸν ἄνδρα τοῦτον, ὃν δ' ἐχρῆν φιλεῖν, στυγεῖς.]
ΚΛ. ἐγώ σ' ἔθρεψα, σὺν δὲ γηρᾶναι θέλω κτέ.

talibus enim locis de stichomythico diverbio iam non dici posse quisque concedat. eadem vero ratione, sed aliquanto perfectiore atque ampliore, Sophocles eas partes, quae liberius quoddam diverbii genus flagitant, in omnibus tragoediis tractavit, ita ut vix unum fabularum eius episodium reperiri possit, quod tali diverbio careat. idem fecit Euripides, donec erat adolescens; insignia enim eius rei exempla inveniuntur praecipue in Medea, quam fabulam poetam singulari quadam arte et sollertia composuisse notum est: vide v. 591—626, 731—758, 925—945, 1121—1134. namque his locis si, quod factum esse scio,

certas versuum responsiones aut inesse arbitraremur aut, ubi eae in promptu non sunt, obtrudere studeremus, in errorem induceremur optimumque poetae fetum depravaremus. sed quo quaeque recentior est Euripidea tragoedia, huius modi exempla sensim evanescunt, ut stichomythia, postquam ingens versuum obtinuit spatium latissimeque diffusa est, denuo unica fere diverbii fiat forma. hinc factum est, ut aeque atque in vetustissimis tragoediis ῥήσεις et stichomythiae in episodiis sese excipiant. nec mirum est hanc imitationem multo latius patere quam exemplar. luculentissima huius rei exempla praebent Troades, Phoenissae, — qua in tragoedia maxime conspicuum est, quo modo Euripides ad Aeschyleum morem denuo se adplicaverit — Orestes, Iphigenia Aulidensis. namque in hac ultima fabula, quatenus de opere non ab ipso Euripide confecto iudicari licet, pauci tantum loci inveniuntur, quibus diverbium non stichomythica forma compositum sit, velut 691—696, 1024—1035, 1106—1145.

Sed redeamus ad Aeschylum; quem primum in Prometheo diverbii formam ita mutavisse intelleximus, ut a Supplicibus, Persis, Septem admodum differat.[45]) admissis enim distichis stichomythiae severitatem dissolvit. haec vero disticha, quippe quae tranquilliori aliquantum ac sedatiori aptissima sint conloquio, dum Aeschylus in Orestia separatim usurpat neque cum stichomythia, quae proprie dicitur, coniungit, Sophocles profuse in omnes tragoedias recipit, ita ut ea in quaque scaena cum ipsa stichomythia conectat, exceptis El. v. 622—633, 875—890; hic enim, sicut in Orestia et in Euripideis aliquot tragoediis, seorsum locantur. Euripides autem, qui in prioribus tragoediis disticha omnino parcius admittit, frequentius eis utitur in recentioribus; quae ubicunque apud eum aut incipiendae stichomythiae praemittuntur aut per se sola usurpantur, semper una perpetuitate decurrunt. apud Sophoclem autem in Aiace rarius, inde ab Oedipo Rege summa licentia in omnibus fabulis praeter Antigonam turbari

stichomythiam cognovimus. namque inde ab eo tempore poetam genuina stichomythia cum distichis commixta Promethei tragoediae vestigiis videmus insistere; unde oriuntur schemata 2—1, 1—2. tum vero qua arte in componendis diverbiis se gesserit, satis explicate supra dictum est. Euripidem autem in ultimis tragoediis Aeschyleam severitatem esse secutum apertum est; ita neque omnino schemata illa adhibuit neque unum versum inter duas personas distribuit nisi rarissime. at continuis antilabis admodum saepe usus est, nonnunquam cum stichomythia non coniunctis, cuius rei exempla vel Sophoclea tragoedia quamquam rara subministrat, velut O. R. 1516 sqq., Phil. 1402 sqq., O. C. 327 sqq.

In calce huius capitis ut stichomythiarum apud singulos poetas et frequentiam et ambitum oculis legentium subiciam, duas adnecto tabulas, quarum prior quot et quales in quaque tragoedia insint stichomythiae, altera quomodo singulae stichomythiae per episodia distributae sint, ostendat. quarum in altera componenda nihil interesse arbitratus sum, utrum stichomythiae secundum severiores artis leges compositae an distichis vel antilabis intermixtae sint. notis autem utor hisce: significat littera **a** simplicem stichomythiam, **b** disticha integra, **c** antilabas integras, **d** stichomythiam quolibet modo turbatam. at sub littera **a** etiam eae stichomythiae comprehenduntur, quae uno tantum loco turbantur velut Bacch. 1269 similesque loci, de quibus supra accuratius dictum est.

I.

Aesch. Supp.	6	(6**a**)	Prom.	8	(5**a** 3**d**)	Eum.	7	(6**a** 1**b**)
Pers.	3	(3**a**)	Ag.	10	(8**a** 2**b**)			
Sept.	3	(3**a**)	Cho.	8	(7**a** 1**b**)			

Soph. Ant.	14	(9**a** $2\frac{b}{a}$ 3**d**)	Trach.	11	(3**a** 1**b** $1\frac{b}{a}$ 6**d**)
Ai.	12	(5**a** 1**b** 6**d**)	Phil.	18	(3**a** 1**c** 14**d**)
O. R.	19	(2**a** $2\frac{a}{c}$ 1**c** 14**d**)	O. C.	15	(1**a** $1\frac{a}{c}$ 13**d**)
El.	14	(4**a** 2**b** $1\frac{a}{c}$ 7**d**)			

Eur.	Alc.	8	(7**a** 1**d**)
	Med.	8	(4**a** 1**b** 3**d**)
	Hipp.	11	(8**a** 2**b** 1**d**)
	And.	6	(3**a** $3\frac{b}{a}$)
	Hcld.	8	(7**a** 1**d**)
	Hec.	10	(5**a** 1**b** $1\frac{b}{a}$ $1\frac{a}{c}$ 2**d**)
	Supp.	6	(4**a** $1\frac{c}{a}$ 1**d**)
	Her.	9	(7**a** $1\frac{a}{c}$ 1**d**)
	Ion.	11	(6**a** $1\frac{b}{a}$ $3\frac{a}{c}$ 1**d**)
	Tro.	4	(2**a** 1**b** $1\frac{b}{a}$)
	I. T.	12	(7**a** $1\frac{a}{c}$ 4**d**)
	El.	8	(6**a** 2**d**)
	Hel.	11	(7**a** 1**b** $1\frac{a}{c}$ 2**d**)
	Phoen.	10	(4**a** $2\frac{a}{c}$ 1**c** 3**d**)
	Or.	14	(7**a** 2**b** $3\frac{a}{c}$ 2**d**)
	Bacch.	9	(5**a** $2\frac{b}{a}$ 1**b** 1**c**)
	I. A.	11	(6**a** $1\frac{b}{a}$ $1\frac{a}{c}$ 1**c** 2**d**)

ad hanc tabulam, quandoquidem de singulis iam disputatum est, ea tantum adnotabo, quae aut per se maioris momenti mihi esse videntur aut ad trium poetarum in componendis diverbiis diversitatem cognoscendam maxime idonea. videmus igitur et in prioribus tribus Aeschyleis tragoediis et in Troadibus diverbium admodum rarum et sedatum esse. alacerrimum autem esse in Oedipo Rege, Philocteta, Oedipo Coloneo cum omnino frequentissimo dilaceratae stichomythiae usu comprobatur, tum variis stichomythiarum generibus admissis. hac re etiam Euripidis recentiorum tragoediarum diverbia alacriora fiunt praeter Electram, quae ad Aeschyleam indolem adcommodata est; idem poeta interrumpi turbarique stichomythiam raro tantum sinit, quater in Iphigenia priore, ter in Medea et Phoenissis, in ceteris vix bis aut semel. in Bacchis autem, quae et ipsae ad Aeschyleum morem proxime accedunt, neque turbata stichomythia invenitur, et propriam suam artem Euripides professus est admissis distichis antilabisque integris.

In altera tabula id specto, ut, quot in quoque episodio inveniantur stichomythiae, numeris indicem.[46] unde adparebit Sophoclis summam scaenicam vim in eo positam esse, quod plurimas dilaceratas stichomythias in singulas scaenas recepit. unde id quoque efficitur, ut longae ῥήσεις rarius apud eum occurrant quam apud Euripidem.

II.

Aesch. Supp. I.	(176-523)	5	6
II.	(v. 600—624)	0	
III.	(v. 710—775)	0	
ἔξοδος		1	

Pers. I.	(155—526)	1	3
II.	(598—622)	0	
III.	(681—851)	2	
ἔξοδος		0	

Sept. prol.	(v. 1—77)	0	3
I.	(181—286)	1	
II.	(369—719)	1	
III.	(792—821)	1	
[ἔξοδος		1]	

Prom. prol.	(1—127)	1	8
I.	(193—396)	2	
II.	(436—525)	1	
III.	(561—886)	2	
ἔξοδος		2	

Ag. prol.	(1—39)	0	10
I.	(258—354)	1	
II.	(489—680)	2	
III.	(810—974)	1	
ἔξοδος		6	

Cho. prol.	(1—21)	0	8
I.	(84—584)	5	
II.	(653—782)	1	
III.	(838—934)	1	
ἔξοδος		1	

Eum. prol.	(1—142)	0	7
I.	(179—320)	2	
II.	(397—489)	1	
III.	(566—777)	3	
ἔξοδος		1	

Soph. Ant. prol.	(1—99)	2	14
I.	(155—331)	3	
II.	(376—581)	3	
III.	(626—780)	2	
IV.	(801—943)	0	
V.	(988—1114)	3	
ἔξοδος		1	

Ai. prol.	(1—133)	2	12
I.	(281—595)	3	
II.	(646—692)	0	
III.	(719—865)	2	
IV.	(891—1184)	3	
ἔξοδος		2	

O. R. prol.	(1—150)	1	19
I.	(216—462)	4	
II.	(512—862)	5	
III.	(911—1085)	5	
IV.	(1110—1185)	2	
ἔξοδος		2	

El. prol.	(1—120)	0	14
I.	(251—471)	2	
II.	(516—822)	3	
III.	(871—1057)	3	
IV.	(1098—1383)	3	
ἔξοδος		3	

Trach.	prol.	(1—93)	1	11
	I.	(141—204)	1	
	II.	(225—496)	2	
	III.	(531—632)	0	
	IV.	(663—820)	1	
	V.	(863—946)	2	
	ἔξοδος		4	

Phil.	prol.	(1—134)	2	18
	I.	(219—675)	6	
	II.	(730—826)	3	
	III.	(855—1080)	3	
	ἔξοδος		4	

O. C.	prol.	(1—116)	2	15
	I.	(254—509)	4	
	II.	(549—667)	2	
	III.	(720—1043)	2	
	IV.	(1096—1210)	2	
	V.	(1249—1555)	2	
	ἔξοδος		1	

Eur. Alc.	prol.	(1—76)	1	8
	I.	(136—212)	1	
	II.	(233—434)	1	
	III.	(476—567)	2	
	IV.	(606—961)	2	
	ἔξοδος		1	

Med.	prol.	(1—130)	1	8
	I.	(214—409)	1	
	II.	(446—626)	1	
	III.	(663—823)	2	
	IV.	(866—975)	0	
	V.	(1002—1250)	1	
	ἔξοδος		2	

Hipp.	prol.	(1—120)	1	11
	I.	(170—524)	3	
	II.	(565—731)	1	
	III.	(776—1101)	3	
	IV.	(1151—1267)	1	
	ἔξοδος		2	

Andr.	prol.	(1—116)	1	6
	I.	(147—223)	1	
	II.	(309—463)	1	
	III.	(493—765)	1	
	IV.	(801—1008)	1	
	ἔξοδος		1	

Hcld.	prol.	(1—72)	1	8
	I.	(111—352)	1	
	II.	(381—607)	0	
	III.	(630—747)	4	
	IV.	(892—927)	1	
	ἔξοδος		1	

Hec.	prol.	(1—97)	0	10
	I.	(177—443)	3	
	II.	(484—628)	0	
	III.	(657—904)	4	
	IV.	(952—1023)	1	
	ἔξοδος		2	

Supp.	prol.	(1—41)	0	6
	I.	(87—364)	2	
	II.	(381—597)	1	
	III.	(634—777)	1	
	IV.	(794—954)	1	
	ἔξοδος		1	
Ion.	prol.	(1—183)	0	11
	I.	(237—451)	1	
	II.	(510—675)	1	
	III.	(725—1047)	3	
	IV.	(1106—1228)	1	
	ἔξοδος		5	
I. T.	prol.	(1—122)	1	12
	I.	(236—391)	1	
	II.	(456—642)	2	
	III.	(658—1088)	5	
	IV.	(1152—1233)	1	
	ἔξοδος		2	
Hel.	prol.	(1—178)	1	11
	I.	(252—514)	2	
	II.	(528—1106)	5	
	III.	(1165—1300)	1	
	IV.	(1369—1450)	1	
	ἔξοδος		1	
Or.	prol.	(1—139)	1	14
	I.	(208—315)	1	
	II.	(348—806)	3	
	III.	(844—1352)	7	
	IV.	(1366—1536)	1	
	ἔξοδος		1	
Her.	prol.	(1—106)	1	9
	I.	(138—347)	1	
	II.	(442—636)	2	
	III.	(701—762)	1	
	IV.	(815—1015)	1	
	ἔξοδος		3	
Tro.	prol.	(1—152)	1	4
	I.	(230—510)	0	
	II.	(568—798)	2	
	III.	(860—1059)	1	
	ἔξοδος		0	
El.	prol.	(1—166)	0	8
	I.	(215—431)	2	
	II.	(487—698)	2	
	III.	(747—858)	1	
	IV.	(880—1146)	3	
	ἔξοδος		0	
Phoen.	prol.	(1—201)	0	10
	I.	(261—637)	2	
	II.	(690—783)	1	
	III.	(834—1018)	2	
	IV.	(1067—1283)	3	
	ἔξοδος		2	
Bacch.	prol.	(1—63)	0	9
	I.	(170—369)	1	
	II.	(434—518)	1	
	III.	(576—861)	3	
	IV.	(912—976)	2	
	ἔξοδος		2	
I. A.	prol.	(1—163)	0	11
	I.	(303—542)	4	
	II.	(607—750)	2	
	III.	(801—1035)	2	
	IV.	(1097—1509)	3	
	[ἔξοδος		]	

huic igitur tabulae cum nihil habeam quod addam, corollarii instar tertiam, quam feci, computationem adiungo. nam e cuiusque poetae tragoediis singulas eligo, ut appareat, quot versus stichomythici in singulis episodiis insint, unde optime cognoscitur, quatenus poetae in adsumenda stichomythia processerint. quod ad inlustrandum adhibeo Aeschyli Supplices, Sophoclis Oedipum Regem, Euripidis Ionem.

1. Aesch. Supp. I.	de	254	trimetris sunt	92	stichom.		ca. 1/3	stich.
II.	de	25	„ „	0	„		„ 0	„
III.	de	54	„ „	0	„		„ 0	„
ἔξοδος	de	97	„ „	14	„		„ 1/7	„
ergo	de	430	„ „	106	„		„ 1/4	„
2. Soph. O. R. prol.	de	150	trimetris sunt	53	stichom.		ca. 1/3	stich.
I.	de	246	„ „	86	„		„ 1/3	„
II.	de	242	„ „	118	„		„ 1/2	„
III.	de	174	„ „	123	„	(!)	„ 2/3	„
IV.	de	75	„ „	46	„	(!)	„ 2/3	„
ἔξοδος	de	234	„ „	28	„		„ 1/8	„
ergo	de	1121	„ „	454	„		„ 1/3	„
3. Eur. Ion. prol.	de	81	trimetris sunt	0	stichom.		0	stich.
I.	de	214	„ „	115	„		ca. 1/2	„
II.	de	166	„ „	46	„		„ 2/7	„
III.	de	219	„ „	110	„		„ 1/2	„
IV.	de	123	„ „	16	„		„ 1/8	„
ἔξοδος	de	188	„ „	108	„		„ 3/5	„
ergo	de	991	„ „	395	„		„ 2/5	„

nonne vides in illa Sophoclea tragoedia stichomythicas partes eo magis usurpari, quo propius ad peripetiam, quam dicunt, accedit actio scaenica? contra ubi ad exitum vergit, stichomythia paene evanescit.

Adnotationes.

[1]) Huiusmodi stichomythias in summo opere, quod inscribitur 'Faust' inveniuntur; nam in partis alterius actu tertio praeter illam stichomythiam, qua personarum rixa exprimitur, vel narrationem sub stichomythica forma editam videmus, quae ad veterum morem prope accedit. itemque in 'Pandora' narratio inter Prometheum et Epimetheum formam habet stichomythicam. eadem forma compositi sermones alterni in dramate quod vocatur 'Natürliche Tochter' varias sententias comprehendunt I, 6; III, 1; IV, 1, 3; nec desunt in 'Iphigenie auf Tauris'.

[2]) De hac scaena, quam retractatam esse demonstravit Wilamowitz in Hermae XVII p. 337 sqq., summa cum cautione iudicandum est.

[3]) Et hic et qui sequitur versus 493 offenderunt Usenerum, qui ambos in Mus. Rh. XXIII, 168 sq. in unum contrahendos esse censet. nam verba *ὠνομασμένος κέκληται* pleonasmum exhibere apud Euripidem inauditum. itaque *τόδε μαθεῖν πρῶτον θέλω* e versu subsequenti inepte adreptum et *ἐνθάδε* ad numeros explendos insertum esse statuit, poetamque ita opinatur scripsisse: *Πυλάδης ἄρ᾽ ὑμῶν πότερος ἦν κεκλημένος;* vel *πότερος ὃς κικλήσκεται;* at huic opinioni vix alicuius probabilitatis speciem inesse puto. primum enim quid crebrius apud Euripidem quam tam viles sententias, velut illud *τόδε μαθεῖν πρῶτον θέλω*, ad versum replendum proferri? cf. Hcld. 134, Supp. 750, 1060, Ion. 266, I. T. 257, 1172, Phoen. 904, Or. 747. deinde autem *ὠνομασμένος κέκληται* nihil aliud esse arbitror quam *ὄνομα κέκληται*, quam figuram in poesi Graeca usitatissimam esse nemo ignorat; cf. Phil. 605, O. C. 60, Ion. 800. sin autem in hanc opinionem nolis discedere, ne tum quidem verba, ut tradita sunt, omnem interpretationem respuunt. etenim alia quadam ratione, licet aliquantum artificiosiore, versus illos interpretatus est E. Bruhn in editione sua, ita ut verba *ἐνθάδε ὠνομασμένος* quasi una sententia com-

prehendens ita reddit: ‘uter vestrum [nuper] hic nominatus Pylades vocatur’ (cf. vv. 249, 285, 321). itaque utramcunque explicationem praeferre velis, Useneri illam coniecturam superfluam esse intellegitur ideoque falsam.

[4]) Hi versus huc referri possunt, quia v. 1024 delendus est teste scholiasta: *λείπει τὸ δεῖ φέρειν, τινὲς δὲ γράφουσιν οἰκτρὰ μέν, ἀλλ' ὅμως φέρε.*

[5]) In his quatuor versibus res fortasse aliter sese habet, quia versus, qui in stichomythiam introducunt, a coryphaeo recitantur; qua de re infra mihi erit dicendum.

[6]) Vereor tamen ne hi versus huc non sint referendi. sed priusquam exponam qua de causa v. 959–961 in sequentem stichomythiam traducere non arbitrer, paulo explanatius de toto hoc loco dicendum est, quippe qui nonnullos viros doctos valde offenderit. nam cod. C, in quo uno Electra tragoedia tradita est, v. 959—961 tribuit Orestae, 962—965 Electrae et Orestae invicem. Nauck vero v. 959—961 Electrae vindicans v. 962, 964, 966 Orestae dat, post v. 966 unum Electrae versum intercidisse ratus, qualem vero, non dicit. itaque Wilamowitz Nauckium impugnans in ‘Analectis Euripideis’ p. 68 illum quidem recte dicit Electrae vindicasse v. 959—961, sed 962–965 aliter inter personas esse distribuendos. primum enim v. 964 nisi in ore Electrae non posse intellegi, quia Electra noverit matrem, Orestes non noverit; itaque etiam v. 962 Electrae esse debere, idque cum codicis notis personarum plane congruere. verum ne v. 965 quidem intellegi posse putat v. d. nisi in ore Electrae, quod ea omnino in hac fabula Orestam ad necem impellat, Orestes vero matrem necare dubitet. ergo v. 965 et v. 966 locum mutare debere, lacunam vero hoc quidem loco esse nullam, sed post v. 961 unum vel plures Orestae versus intercidisse. cui opinioni cum in universum adsentiar, totam tamen non posse probari Robert me docuit. namque v. 959—961 codicem secuti Orestae tribuere debemus; ille enim habet servos, qui Aegisthum occisum de scaena removere iu-

bentur, Electra autem a rustico in matrimonium ducta rurique habitans omni ad bene vivendum adiumento ita caret, ut ipsam videamus aquam ex puteo haustum ire. (cf. vv. 54 sqq., 184 sqq., 239 sqq., 304 sqq., saepius.) itaque post longam Electrae ῥῆσιν, quam chorus tribus versibus concludit, Orestes corpus Aegisthi asportari iubet.

[7]) Hos versus, qui magnas dubitationes obiciunt, infra, cum de eis iterum quaestio erit, sanare conabor; cf. n. 16.

[8]) In Hec. v. 754 sqq. multae difficultates occurrunt. nam diverbium, quod inter Hecubam et Agamemnonem distichis compositum est, interrumpitur v. 758, qui unus Agamemnoni tributus est; praeterea vv. 756—758 omittunt codd. **M** et **B**, addidit **B²**. itaque Kirchhoff hos versus eiciendos esse censet. quam opinionem falsam esse duco. optimi enim hi versus in illis codicibus interciderunt, quia v. 756 et v. 759 a simillimis syllabis incipiunt: *ΟΥΔΗΤΑ* et *ΟΥΔΕΝΤΙ*, qua de re recte iam iudicavit Weil. Hirzelio autem in diss. Bonn. 'de Eur. in comp. div. arte,' 1862 versus transponere placuit, ut fiat ordo hic: *ΕΚ* 756 et 757, tum excidisse unum Agamemnonis versum putat huius fere modi 'quos tu punire vis? ecquem Graecorum? an aliud quid vis?' denique *ΕΚ* 759, *ΑΓ* 758, *ΕΚ* 760. cui sententiae adsensus est Weil, qui ad hunc locum adnotat: 'dans le vers précédent Agam. pouvait demander à Hécube, si l'un de ses Grecs l'avait outragée'. at ego hac opinione utpote nimis artificiosa reiecta traditum versuum ordinem defendi posse puto. in primis enim arbitror id spectandum esse, ut eximia illa, quae in reginae versibus elucet, psychologica ars recte intellegatur. tum demum tota scaena recte recitabitur. Hecuba enim inde a v. 736 secum ipsa conlocuta postquam diu haesitavit et, quid vellet, Agamemnoni dubitavit aperire, tandem tribus versibus (749—751) pronunciatis ad certum consilium animum tollit; tum ad Agamemnonis pedes supplex prostrata duobus versibus auxilium eius implorat. quid vero illa a

se impetrare velit, rex non potest animo praesagire (754 sq.). itaque regi in falsam opinionem adducto Hecuba denuo respondet duobus versibus (756 sq.) eisque adeo obscuris, ut rex iterum debeat interrogare. sed ne tum quidem, quid velit, satis aperte indicat regina, verum re ipsa adhuc celata cum voce tremebunda dicit v. 759. denique inde a v. 760 regis animum eo captat, quod de eis, quae sibi acciderint, certiorem eum facere incipit; atque id demum cum ei successit, inde a v. 787 longa ῥήσει orat Agamemnonem, ut sese ipsam necatumque filium ulciscatur. intellecta igitur psychologica insigni arte fore spero, ut hi versus amplius non sollicitentur. schemata autem sunt haec; 1. 736—738 basis, 739—748 distichomythia; 2. 749—751 basis, 752—757 distichomythia, cui adnectitur brevissima stichomythia 758—759; 3. 760 sqq. stichomythia.

[9]) Negat Behrns hanc formam ab Euripide unquam adhibitam esse. itaque primum Phoenissarum illos versus qui pugnare cum hac sententia videntur, ita explicat, ut Eteoclem nequaquam consilium habuisse contendat plura cum fratre disputandi, sed cum diceret v. 593: καὶ σὺ . ., iam scaenam relicturum itaque ampliorem altercationem praecisurum fuisse. sed cum ipse hic v. 593 vehementissimam inter frates altercationem excitet, eum cum antecedentibus coniungi non posse apertum est. — haud secus intellegendi sunt Bacch. v. 463 sqq.; nam hoc loco, ubi Bacchum per totam scaenam summas tueri partes et arbitrum potius quam reum se gerere putat v. d., inde a v. 460 et unus Penthei versus stichomythiae praemittitur et Bacchi duo. itaque hunc locum haud aliter compositum esse perspicuum est atque Hel. 85, quem versum cum sequentibus coniungi oportere consentaneum est.

[10]) A plerisque hi versus aliter inter chorum et nuntium distribuuntur. neque hac sola ex causa in hunc locum accuratius inquirendum est. primum autem versus quemadmodum recte recensitos puto, adscribo:

ΑΓΓ. Θαρσεῖτε, παῖδες μητέρων † τεθραμμέναι.
πόλις πέφευγεν ἥδε δούλιον ζυγόν.
πέπτωκεν ἀνδρῶν ὀβρίμων κομπάσματα.
πόλις δ' ἐν εὐδίαι τε καὶ κλυδωνίου
πολλαῖσι πληγαῖς ἄντλον οὐκ ἐδέξατο.
ΧΟ. στέγει δὲ πύργος, καὶ πύλας φερεγγύοις
ἐφαρξάμεσθα μονομάχοισι προστάταις;
ΑΓΓ. καλῶς ἔχει τὰ πλεῖστ' ἐν ἓξ πυλώμασιν.
τὰς δ' ἑβδόμας ὁ σεμνὸς ἑβδομαγέτης
ἄναξ Ἀπόλλων εἵλετ', Οἰδίπου γένει
κραίνων παλαιὰς Λαΐου δυσβουλίας.
ΧΟ. τί δ' ἔστι πρᾶγος νεόκοτον πόλει παρόν;
ΑΓΓ. [πόλις σέσωσται· βασιλέες δ' ὁμόσποροι]
ἄνδρες τεθνᾶσιν ἐκ χερῶν αὐτοκτόνων.
ΧΟ. τίνες; τί δ' εἶπας; παραφρονῶ φόβωι λόγου.
ΑΓΓ. φρονοῦσα νῦν ἄκουσον· Οἰδίπου τόκω —
ΧΟ. οἲ ἐγὼ τάλαινα, μάντις οὖσα τῶν κακῶν!
ΑΓΓ. οὐδ' ἀμφιλέκτως μὴν κατεσποδημένω —
ΧΟ. ἐκεῖθι κεῖσθον; βαρέα δ' οὖν ὅμως φράσον.
ΑΓΓ. οὕτως ἀδελφαῖς χερσὶν ἠναίροντ' ἄγαν.
ΧΟ. οὕτως ὁ δαίμων κοινὸς ἦν ἀμφοῖν ἅμα.
αὐτὸς δ' ἀναλοῖ δῆτα δύσποτμον γένος.
ΑΓΓ. τοιαῦτα χαίρειν καὶ δακρύεσθαι πάρα,
πόλιν μὲν εὖ πράσσουσαν, οἱ δ' ἐπιστάται,
δισσὼ στρατηγώ, διέλαχον σφυρηλάτωι
Σκύθηι σιδήρωι κτημάτων παμπησίαν.
ἕξουσι δ' ἣν λάβωσιν ἐν ταφῆι χθόνα
πατρὸς κατ' εὐχὰς δυσπότμους φορούμενοι.
πόλις σέσωσται· βασιλέοιν δ' ὁμοσπόροιν
πέπωκεν αἷμα γαῖ' ὑπ' ἀλλήλων φόνωι.

V. 792: *τεθραμμέναι* aut corruptum est aut post v. 792 unus vel plures versus interciderunt; itaque lacunam indicat Weil. — v. 793 choro tribuit Weil interrogationis signo addito. — v. 794 *πέπτωκεν δ' ἀνδρῶν* **M** (... *ΚΕΝΔΑΝΔΡΩΝ*), *πέπτωκεν ἀνδρῶν* recc. — v. 797—798 choro tribuit Weil

interrogationis signo posito. — v. 804 del. Porson (cf. v. 820.) — v. 810 *κ*$^{\eta\lambda}_{\varepsilon\tilde{\iota}\sigma}$*θον M.* — post v. 807 conlocat v. 810 Wecklein, deleto v. 808. — post v. 809 Weil inserit v. 808 idem v. 811 choro, v. 812 nuntio tribuit. — vv. 820 et 821 del. Butler.

Nuntius igitur chorum de victoria certiorem facturus in scaenam prodit et v. 792—796 recitat. namque hi versus etiam in cod. **M** nuntio tribuuntur nec causa est, cur Weilium secuti v. 793 choro tribuamus. immo qui adtente totam scaenam perlegerit, magna quadam cum vi omnes hos versus asyndetos positos esse videbit, verbis, quibus summa rei inest, primum cuiusque versus locum obtinentibus. sed accedit aliud. nempe Laium ab Apolline ter vetitum fuisse liberos gignere ex pulcerrimo illo chori cantico scimus, quod hanc ipsam scaenam antecedit (v. 742 sqq.). si rex sine liberis morietur, dixerat Apollo, urbem servabit; sin gignet, urbem perdet. sed nihil amplius deus vaticinatus erat. genuit ille liberos: de urbe actum esse videtur; Oedipus miserrime periit funesta dira filiis imprecatus (v. 724 sq.). itaque Eteocles dum et se ipsum et fratrem perdit, omni Laii stirpe extincta urbi patriae salutem adferre vult (vv. 684, 691, 695 sqq., 702 sqq., 719. cf. v. 802 et 813). hanc igitur totius dramatis summam esse sententiam me docuit Robert, cuius opinionem etiam apud Ed. Meyerum 'Gesch. des Altert.' III., p. 454 publicatam invenies. quam tragoediae sententiam cum cognoverimus, intellegimus, cur Aeschylus nuntium gravibus ac saepius repetitis verbis urbem servatam esse dicentem fecerit. hac de causa v. 793 cum codice nuntio tribuendus est, non cum Weilio choro.

Contra v. 797—798 recte a Weilio choro dati sunt; nam v. 216 Eteocles non sine acerbitate quadam chorum deos precari iusserat: *πύργον στέγειν εὔχεσθε πολέμιον δόρυ.* itaque nunc chorus comperire vult, num preces suae exauditae sint. respondet nuntius v. 799—803. quod vero in

v. 800 τὰς δ' ἑβδόμας non ad versus antecedentis πυλώματα, sed per hyperbaton, quod dicunt, ad πύλας 797 spectat, nullam profecto difficultatem habet. neque in sequenti stichomythia cur traditus versuum ordo ab editoribus servatus non sit, intellegere possum. primum enim versum 807 versus 808 subsequi debet, cum chorus verbis Οἰδίπου τόκω auditis extemplo se eis, quae praesagivisset, non esse deceptum cognoscat. deinde in nuntii v. 809 οὐδ' ἀμφιλέκτως chori illa μάντις εἰμὶ τῶν κακῶν excipiunt; tum v. 810 chorus iterum dicere iubet nuntium, verene occisi sint ambo fratres. (nam etiam aliis locis nuntii id quod aut maerorem aut gaudium adfert bis dicere iubentur; cf. Eur. El. 770.) quod postquam nuntius v. 811 adfirmavit, chorus duobus versibus, qui quasi summam totius dramatis comprehendunt, stichomythiam concludit. — cur vero contra plurimorum editorum sententiam v. 820 sq. servandos esse censeam, ex eis, quae supra disputavi, ultro elucet.

[11]) Hunc locum Wilamowitz in editione sua ab aliorum virorum doctorum coniecturis commentisque optime defendit.

[12]) V. 76, quem plerique editores codices secuti Orestae tribuunt, Pyladi iure vindicaverunt Reiske et Bruhn. nam Pylades postquam v. 75 recitavit, subito metu paulum percussus (ἀλλά!) ad extremas scaenae partes conversus dicit v. 76 eumque cum voce submissa; Orestes autem, qui haec verba non audit, horribilia illa versuum 72—75 verba memoria tenens supplices manus ad Apollinem tendit deo adeo improbitatem obiectans, quod in terras tam barbaras sese egerit. nos autem non tantum oculis, sed animis percipere debemus totius scaenae pulcritudinem. sed de hoc loco infra iterum mihi erit dicendum.

[13]) Hoc loco quod aliquot difficultates occurrunt, primum versus, quemadmodum recte recensitos esse puto, legentibus ante oculos pono:

ΠΕ. οὐκ ἂν δυναίμην θῆλυν ἐνδῦναι στολήν.
ΔΙ. ἀλλ᾽ αἷμα θήσεις συμβαλὼν Βάκχαις μάχην.
ΠΕ. ὀρθῶς· μολεῖν χρὴ πρῶτον εἰς κατασκοπήν.
ΔΙ. σοφώτερον γοῦν ἢ κακοῖς θηρᾶν κακά.
ΠΕ καὶ πῶς δι᾽ ἄστεως εἶμι Καδμείους λαθών;
ΔΙ. ὁδοὺς ἐρήμους ἴμεν· ἐγὼ δ᾽ ἡγήσομαι.
ΠΕ. πᾶν κρεῖσσον ὥστε μὴ ἐγγελᾶν Βάκχας ἐμοί.
ἐλθόντ᾽ ἐς οἴκους — ἂν δοκῆι βουλεύσομαι.
ΔΙ. ἔξεστι· πάντηι τό γ᾽ ἐμὸν εὐτρεπὲς πάρα.
ΠΕ. στείχοιμ᾽ ἄν· ἢ γὰρ ὅπλ᾽ ἔχων πορεύσομαι
ἢ τοῖσι σοῖσι πείσομαι βουλεύμασιν.

V. 842 ἐγγελᾶν Reiske: γελᾶν *P.* — v. 843 nuntio, 844 Pentheo, 845 sq. nuntio tribuit *P.*; conloquium inter Pentheum et Bacchum restituit Heath. — v. 843 ἐλθόντ᾽ ... ἂν *P.*: ἐλθὼν Kirchhoff, ἂν Musurus; versum, ut supra adscripsi, recte defendit Bruhn in editione sua. — post v. 842 lacunam ponit Kirchhoff. — v. 844 εὐτρεπές Canter: εὐπρεπές *P.* — v. 846 ἢ τοῖσι σοῖσι πείσομαι Musurus: ἢ τοῖς σοῖσι πείθομαι *P.*

Et traditus versuum ordo et codicis lectiones in v. 843 et v. 846 in dubium vocata sunt, quia stichomythia aliter concludi videtur atque ceteris Euripideis locis. itaque primum Kirchhoff post v. 842 lacunam indicavit, qua opus non esse infra probabo. idem in v. 843 ἐλθόντ᾽ in ἐλθών mutavit et v. 846 a Musuro correctum recepit, illud prave dum v. 843, quem Bruhn optime defendit, non recte intellexisse videtur, hoc rectissime. nam naturae artis tragicae aptissimum esse optime dicit Funke Pentheum adhuc dubitantem de scaena recedere, quia etsi etiam cunctantem videmus Pentheum, tamen eum divino tactu insanientem vestimento muliebri indutum profecturum esse intellegimus. — Nauck vero ordinem versuum hunc esse voluit: 845, 844, 846. quae coniectura ut probabilis fieret, v. 845 sic scripsit: στείχοιμ᾽ ἄν· ἦ γὰρ ὅπλ᾽ ἔχων πορεύσομαι, et v. 846 εὖ τοῖσι σοῖσι πείθομαι

βουλεύμασιν. sed vereor ne nimis audax sit haec coniectura; nempe sedes versuum mutantur, coniecturae fiunt, etsi contextus ut traditus est perbene intellegi potest neque tamen sententiae melius conectuntur. nam praeterquam quod, si hanc coniecturam accepimus, sententia versus 843 omnino neglegitur, tragicae actionis, de qua supra dixi, ratio non habetur. alium versuum ordinem statuere conatus est Behrns in disputatione sua versu 842 post v. 844 posito. sed haec mutatio quamvis simplex minus placet, quod et v. 842 ad v. 840 et sequentem optime respondet cumque eis artissime coniungi debet et iam v. 843, quem v. d. Kirchhoffium secutus ἐλθὼν ἐς οἴκους scribit, cum v. 841 ὁδοὺς ἐρήμους ἴμεν pessime coniungitur. itaque dum Bruhnium secutus et traditum versuum ordinem et in v. 843 codicis lectionem a Bruhnio optime defensam retineo, in v. 846 cum Musuro πείσομαι scribo. tum vero quod causa non invenitur, cur versus aliquis inter v. 842 et sequentem interciderit, stichomythiam finientem schemate 1—2 includi stabilimus.

14) In Prom. v. 980 dudum v. d. haeserunt, quod hoc unicum versus inter duas personas discerpti apud Aeschylum exemplum est. itaque G. Hermann in ‘praefatione’ ὤμοι iteravit, prius ὤμοι interiectionis instar Prometheo, alterum Mercurio tribuens Titanis querelam ironice repetenti. alios emendandi conatus invenies in ‘Fleckeis. Jhrb.’ 1881, p. 842. at vereor ne hac in re viri illi docti nimis regulae serviant. etenim praeterquam quod omne huius loci pondus ac gravitas talibus medelis valde debilitatur, cum iam inde ab hac tragoedia Aeschylum veterem componendi diverbii morem relinquere videamus, omnino cavendum est, ne a tradita lectione recedamus.

15) Nihilominus de exaequando versuum numero unice solliciti Nauck et Behrns (l. c. p. 12 sq.) v. 811 λέγοιμ᾽ ἂν ἄκουε πρῶτον Ἠλέκτρας τάδε deleverunt. ceterum versum, quemadmodum traditus est, servari non posse

et ipse concedo, sed a Marklando dudum *ἄκουε* in *ἀκοῆι* correctum est. adde quod hic versus ideo prorsus necessarius est quod nemo nisi Electra memoriam ac famam familiae domusque regiae Orestae prodere poterat. ceterum non desunt, ni fallor, qui etiam v. 810 extinguant; sed tantum abest, ut vera vel omnino necessaria sit haec coniectura, ut illos consuetudinem dicendi Euripideam parum intellexisse apertum sit.

16) Hunc locum, qui difficillimus est ad recte intellegendum, priusquam explicare coner, ita adscribam ut recte puto restitutum:

XO. κληιδοῦχον Ἥρας φασὶ δωμάτων ποτέ 291
Ἰὼ γενέσθαι τῆιδ᾽ ἐν Ἀργείαι χθονί.
BA. ἦν ὡς μάλιστα, καὶ φάτις πολλὴ κρατεῖ.
μὴ καὶ λόγος τις Ζῆνα μειχθῆναι βροτῶι; 295
XO. κἄκρυπτά γ᾽ Ἥρας ταῦτα τἀμπαλάγματα.
BA. πῶς οὖν τελευτᾶι βασιλέων νείκη τάδε;
XO. βοῦν τὴν γυναῖκ᾽ ἔθηκεν Ἀργεία θεός.
BA. οὔκουν πελάζει Ζεὺς ἐπ᾽ εὐκραίρωι βοΐ; 300
XO. φασίν, πρέποντα βουθόρωι ταύρωι δέμας.
BA. τί δῆτα πρὸς ταῦτ᾽ ἄλοχος ἰσχυρὰ Διός;
XO. τὸν πάντ᾽ ὁρῶντα φύλακ᾽ ἐπέστησεν βοΐ.
BA. ποῖον πανόπτην οἰοβουκόλον λέγεις;
XO. Ἄργον, τὸν Ἑρμῆς παῖδα γῆς κατέκτανεν. 305
BA. τί οὖν ἔτευξεν ἄλλο δυσπότμωι βοΐ;
XO. βοηλάτην μύωπα κινητήριον.
BA. οἶστρον καλοῦσιν αὐτὸν †οἱ Νείλου πέδας.
XO. τοίγαρ νιν ἐκ γῆς ἤλασεν μακρῶι δρόμωι. 309
BA. μὴ καὶ Κάνωβον κἀπὶ Μέμφιν ἵκετο; 311
XO. καὶ Ζεύς γ᾽ ἐφάπτωρ χειρὶ φιτύει γόνον. 312
BA. καὶ ταῦτ᾽ ἔλεξας πάντα συγκόλλως ἐμοί. — 310
τίς οὖν ὁ δῖος πόρτις εὔχεται βοός; 313
XO. Ἔπαφος ἀληθῶς ῥυσίων ἐπώνυμος.
BA. — — — — — — — — — — 315
XO. Λιβύη, μέγιστον γῆς ⟨πέδον⟩ καρπουμένη κτέ.

in cod. **M** personae non indicantur; v. 294 regi tribuit G. Hermann'; v. 295 coryphaeo tribuit Weil et ante 296 unum regis versum intercidisse putat. v. 308 *οἱ Νείλου πέδας* **M**, *οἶμαι παῖδες* in marg., *Ἰνάχου πέλας* G. Hermann, *Νείλου πέλας* Weil. mihi desperatus hic locus esse videtur. v. 311 *μὴ καί* Tucker: *καὶ μὴ* **M**. post 311 unum regis versum excidisse putat Hermann. v. 310 post 312 conlocavi. v. 315 lacunam notavit Stanley, v. 316 *πέδον* suppl. Kruse. ceterae coniecturae nihil ad rem.

Iam transeamus ad explicationem. Danai regis filiae impii cum patruelibus fratribus conubii evitandi causa exules errantes ad Pelasgum Argorum regem confugiunt. qui suam gentem professus postquam eas Argivae stirpis et ipsas esse comperit, valde miratur et primum puellas, quinam earum fuerint proavi, tum quae pericula eis immineant interrogat. quarum quaestionum cum utraque forma stichomythica composita sit, prior, quam supra excripsimus, hoc proprium habet, quod rex ea, quae quaerit, magnam partem iam cognita habet et eo tantum consilio quaerit, ut videat verane an falsa dicturae sint virgines. in tali autem conloquio uter interrogantis munus debet suscipere? quicunque totam scaenam adtente perlegerit, regis id esse adfirmabit; nempe is, qui auxilium laturus est, interrogat eas, quae subplices auxilium ab eo petunt. propterea autem hac de re primum agendum esse censui, quod qui nuperrime et, quod sciam, novissime de his versibus disputavit, G. Mellén in dissertatione 'de Ius fabula' Upsal. 1901, primo semper rogitantem fecit chorum, tum inde a v. 311 interrogantis partes regi tribuit. iam ad singula venire licet.

Primum igitur cum cod. **M** personarum notas non habeat, G. Hermann v. 294 recte tribuit regi, qui etsi de omnibus rebus iam in universum audivit, accuratiora ignorat. in sequenti versu Weil aliique verba *μή καί*.., quae tradita sunt, perperam mutaverunt in *ᾖι καί*, et hoc

versu choro tributo lacunam notaverunt. sed verba *λόγος τις* (cf. *φάτις* 294) probant regis esse versum, verba autem *μὴ καί* retinenda et ita explicanda esse arbitror, ut regem ad virgines examinandas sibi ea incredibilia videri fingere putem, quae re vera facta sint, id quod vernacule ita fere reddere possis: „am Ende erzählt man auch gar ...?“. accedit quod inde ab hoc versu rex altero quoque versu quaerit, altero respondet chorus. atque optime quidem ad regis verba 295 respondet chorus 296: *καὶ . . γε*, id est: ‘est quidem ita, et ...’ („allerdings“). tum v. 308, quem Mellén propter Nili commemorationem negat intellegi posse nisi in ore coryphaei, regi tribuere non dubito; nam *Νείλου* corruptum esse pro certo adfirmare ausim, cum *οἶστρος* nullo modo pro vocabulo Aegyptio vendi possit.

Sed deinde novae dubitationes moventur. plerique enim editores v. 311 tribuunt choro et postea Hermannum secuti lacunam statuunt. sed et v. 310 et v. 311 (ut a Tuckero ad exemplum versus 295 correctus est) regis esse, itemque interrogationi regis v. 311

μὴ καὶ Κάνωβον κἀπὶ Μέμφιν ἵκετο:

succedere necesse est responsionem chori 312

καὶ Ζεύς γ' ἐφάπτωρ χειρὶ φιτύει γόνον.

atqui v. 311 artissime se adplicat ad v. 309: ergo ita corrigendus est versuum ordo: 309, 311, 312, 310, quem in codice ideo turbatum esse puto, quod hi tres versus omnes a vocabulo *καί* incipiunt. apertum autem est chori verba 312 ad ea respicere, quae rex in v. 295 e puellis quaesiverat, ideoque his verbis totam narrationem, quae erat de Ius fatis, ad finem perductam esse. quo fit ut rex, postquam in v. 310 omnem illam narrationem quasi una voce comprehendit, inde a v. 313 alteram interrogationum seriem incipiat, cui ultima chori verba v. 312 ansam praebuerunt, in qua de posterioribus generationibus se nescire confitetur.

Sed fortasse aliquis obiciat v. 311 regis esse non posse, quia is ignoret Aegyptum. sed et in v. 279 sqq.

rex explicatius de his regionibus loquitur et omnino ut edoctissimum de peregrinis terris gentibusque se gerit. ceterum v. 312 recte defendisse puto Mellén contra Maassium, qui eum in 'ind. lect. Marbg.' p. 51 delere vult, quia ter Ius amore fructum esse Iovem negat Homeri testimonio fretus (λ 248 sqq.). *περιπλομένου δ' ἐνιαυτοῦ τέξεις ἀγλαὰ τέκνα, ἐπεὶ οὐκ ἀποφώλιοι εἰναὶ ἀθανάτων.* denique post v. 314 unum regis versum intercidisse Stanley recte cognovit; ceterum quinque has, quae enumerantur, generationes Aeschylus etiam in Prom. 853 sqq. commemorat.

[17]) Ceterum ne hunc quidem locum pulcerrimum ab aequalitatis sectatoribus intactum mansisse dolendum est; praeter alios enim, qui verba optime tradita depravaverunt, Nauck post v. 1269 unum versum intercidisse opinatur. quem impugnare supersedeo.

[18]) Ant. v. 41 sqq. huc referri non possunt, quod v. 46 iam a veteribus criticis pro spurio habitus est: *Δίδυμός φησιν ὑπὸ τῶν ὑπομνηματιστικῶν τὸν στίχον νενοθεῦσθαι.*

[19]) Hac Euripidis consuetudine perspecta etiam Hcld. v. 961 sqq. sanari posse arbitror. etenim vv. 961—972 choro et nuntio conloquentibus praebent **L** et **P**, tum 973 Alcumenae interpellanti. sed iam a veterioribus editoribus hi priores versus inter nuntium et Alcumenam distributi sunt. contra Murray, qui nuperrime hanc tragoediam edidit, inde a v. 961, quem tribuit choro, omne conloquium inter chorum et Alcumenam fieri opinatur; cui adstipulari non possum. primum enim v. 961 nisi in ore nuntii non potest intellegi, quia quid iusserint reges chorus ignorat, scire debet nuntius; deinde vero etiam v. 968 nuntii esse debet, quem sic fortasse scribendum esse censet Robert: *χρῆν αὐτόν, οἶμαι, μηδ' ἀπιστῆσαι χθονί* (cf. 964). nec maiore iure v. 962 Murray nuntio tribuisse mihi videtur; immo res ita se habet: v. 961 nuntius negat licere Eurystheum proelio captum necari; deinde

v. 962 Alcumena omni spe ulciscendi destituta dicit: 'ergo nequiquam eum cepimus.' extemplo autem nova ira novoque ulciscendi studio incensa, cur non liceat eum necare, sciscitatur v. 963: *εἴργει δὲ δὴ* . . . . itaque hoc loco schema 1+2 vv. in ipsam stichomythiam introducere statuimus.

[20]) Non esse, cur a vulgata lectione recedatur, monuit Kaibel in editione Electrae, p. 119; itaque perperam post v. 316 lacunam indicavit Iahn, cui disticha videbantur turbari.

[21]) V. 1197 propter nimium exaequandi studium Hartung delevit, post 1197 G. Hermann lacunam statuit. sed dummodo scribatur *οὐδέν τι χαίρων σοῖς λόγοις τάδ᾽ εὐτυχῶ*, versus me iudice optimus est. neque enim omnino de interrupta stichomythia hoc loco potest dici, cum inde demum ab hoc versu initium capiat ipsa stichomythia; et prorsus egregie hoc versu Theoclymeni mores depinguntur, utpote qui quamquam ex rudi incultaque gente ortus hoc loco urbanitatem graecam affectet. accedit quod, quomodo interpolatori cuilibet in mentem potuerit venire talem versum inserere, non intellegitur.

[22]) Hoc loco facere non possum quin paucis verbis controversiam adtingam, quae de temporibus, quibus priores tres Sophocleae tragoediae actae sint, adhuc inter viros doctos existit. etenim Antigonam et Aiace et Oedipo Rege priorem esse statuit Wilamowitz. namque in illa tragoedia neque unquam unum versum inter duas personas distribui ostendit in 'Anal. Eurip.' p. 195, et Creontis personam in Oedipo Rege tamquam notam induci, utpote cuius mores et ingenium in Antigona iam satis deformata sint. hanc opinionem cum ipse diu amplexus essem, tamen, cum ab altera parte rem aspicere iussus essem a Roberto, in aliam sententiam coepi discedere. namque is v. d. e Bruhnii partibus stans Creontis feros mores alia de causa in Antigona adeo accurate explicari mihi persuasit; praeterea vero canticorum numeros elegantioris

artis vestigia prae se ferre quam in Oedipo certissimum est. attamen eum harum duarum fabularum ordinem, quem illi v. d. statuere malunt, eis quae supra de stichomythiae compositione disputavimus, minime commendari adparet. contra Aiacem, quem in antiquioribus poetae tragoediis numerari oportere nemo negat, Oedipo priorem esse cum diverbii compositione probatur, tum si compositionem scaenicam atque dicendi genus respicimus, ad Orestiam proxime accedere me docuit Robert. itaque si Oedipum Aiace posteriorem, Antigona priorem esse opinamur, Sophocles in Antigona id studuisse putandus est, ut stichomythias omneque diverbium severius componeret quam et in prioribus et in posterioribus tragoediis. tum vero primordia eius libertatis, quam iam in Aiace sparsim indagavimus, in eis fabulis videntur quaerenda esse, quas, donec erat adolescens, sane multas composuit Sophocles, sed quae iniquissimo casu interierunt. e fragmentis certe nihil de hac quaestione enucleari potest. at hercle quomodo haec res sese habeat, adhuc sub iudice lis est.

23) Deinde iterum turbari videtur stichomythia v. 1251 sq., qui Neoptolemi sunt. sed quicunque Sophocleum morem non ignorat, fieri non potuisse intellegit, ut hac in concitatissima altercatione poeta alteri personae duos continuos versus tribueret. praeterea autem ex eo, quod v. 1253 *ἀλλ' οὐδέ* initio versus conlocatum est, in versu antecedenti alteram personam alteri minatam esse concludendum est. itaque optimo iure lacuna statuitur.

24) Inter v. 1403 et v. 1404 Wilamowitz cum in 'Heracles' II² unum Thesei versum inseruisset: *ἀλλ' εὐτυχήσεις μεταλαβὼν ἐμῶν καλῶν*, nunc mutata sententia pulcerrimum poetae locum reliquit integrum.

25) Badham aliique v. 70 deleverunt, et quia v. 102 similis est et quia stichomythiam turbat. sed ut priorem causam vanam esse duco, cum hic versus ne oleat quidem

imitationem, ita etiam alteram pravam esse existimo. nam nulla est in talibus regulis legibusque necessitas. praeterquam enim quod, ut supra commemoravi, antecedentes versus ab Oresta et Pylade adhuc post scaenam versantibus dicuntur, ipso illo versu ei, qui audiunt, statim comperiunt, unde ambo venerint. merito igitur Bruhn et Weil hunc versum in textu reliquerunt.

26) Non enim, ut editiorlbus praeter Bruhnium placuit, post v. 934 lacunam licet indicare, qua de re Wilamowitz apud illum recte disseruit.

27) De his versibus accuratius dicendum est, quia varie a viris doctis temptati sunt. primum autem versus adscribam ita distributos, ut recte distribui eos existimem:

ΧΟ. πάτερ, φρονούντως πρὸς φρονοῦντας ἐννέπεις.
φυλάξομαι δὲ τάσδε μεμνῆσθαι σέθεν 205
κεδνὰς ἐφετμάς· Ζεὺς δὲ γεννήτωρ ἴδοι.
ΔΑ. ἴδοιτο δῆτα πρευμενοῦς ἀπ᾽ ὄμματος. 210
ΧΟ. θέλοιμ᾽ ἂν ἤδη σοὶ πέλας θρόνους ἔχειν. 208
ΔΑ. μή νυν σχόλαζε, μηχανῆς δ᾽ ἔστω κράτος. 207
ΧΟ. ὦ Ζεῦ, κόπων οἴκτιρε μὴ ἀπολωλότας. 209
ΔΑ. κείνου θέλοντος εὖ τελευτήσει τάδε. 211
καὶ Ζηνὸς ὄρνιν τόνδε νῦν κικλήσκετε.
ΧΟ. καλοῦμεν αὐγὰς ἡλίου σωτηρίας.
ΔΑ. ἁγνόν τ᾽ Ἀπόλλω, φυγάδ᾽ ἀπ᾽ οὐρανοῦ θεόν.
ΧΟ. εἰδὼς ἂν αἶσαν τήνδε συγγνοίη βροτοῖς. 215
ΔΑ. συγγνοῖτο δῆτα καὶ παρασταίη πρόφρων κτέ.

ita enim hos versus iam recte ordinavit G. Hermann, nisi quod post v. 211 unum versum intercidisse putat. primum igitur cum v. 206 artissime coniungatur necesse est v. 210, quia in deorum invocatione saepius unum alterius personae verbum ab altera persona ita solet excipi, ut *δῆτα* addito initio versus conlocetur. ita invenimus v. 215 *συγγνοίη*, 216 *συγγνοῖτο δῆτα;* Eur. El. 675 *νίκην δὸς ἡμῖν*, 676 *δὸς δῆτα*, 672 *οἴκτιρέ θ᾽ ἡμᾶς*, 673 *οἴκτιρε*

δῆτα. sed v. 207 versui 210 adnecti nequit; quod si fieret, rex subito ac paene temere chorum in saxum escendere iuberet; immo chorus, qui v. 188—191 a rege id facere iussus erat, hoc loco dicere debet se regis mandatum iam exequi velle. itaque versum 210 necesse est subsequatur v. 208. deinde v. 207 rex chori consilium probat. iam vero chorus v. 209 solemnem deorum implorationem incipit ab Iove, quibus verbis respondet rex v. 211. post hunc versum sermo alternus videtur turbari neque tamen lacunam cum Hermanno statuendam esse puto. nam poeta hoc loco regi duos continuos versus ideo videtur tribuisse, quia, dum loquitur rex, choro aliquantum temporis volebat praebere ad saxum conscendendum. *ὄρνιν* vero Iovis hic non tamquam ministrum fulminis, sed ut solis imaginem salutat chorus. cetera omnia sana sunt.

28) Is enim v. 256 recte Prometheo tribuit, nam duplex interrogatio tolerari nequit.

29) Hoc loco cur Weil duas lacunas statuendas esse censuerit, non intellego.

30) Hos versus cum ab aliquot v. d. coniecturis debeam defendere, totos adscribam:

ΧΟ. *πιθοῦ γυναιξὶ, καίπερ οὐ στέργων ὅμως.* 712
ΕΤ. *λέγοιτ᾽ ἂν ὧν ἄνη τις· οὐδὲ χρὴ μακράν.*
ΧΟ. *μὴ ἔλθῃς ὁδοὺς σὺ τάσδ᾽ ἐφ᾽ ἑβδόμαις πύλαις.*
ΕΤ. *τεθηγμένον τοί μ᾽ οὐκ ἀπαμβλυνεῖς λόγωι.* 715
ΧΟ. *νίκην γε μέντοι καὶ κακὴν τιμᾶι θεός.*
ΕΤ. *οὐκ ἄνδρ᾽ ὁπλίτην τοῦτο χρὴ στέργειν ἔπος.*
ΧΟ. *ἀλλ᾽ αὐτάδελφον αἷμα δρέψασθαι θέλεις;*
ΕΤ. *θεῶν διδόντων οὐκ ἂν ἐκφύγοις κακά.*

coryphaeus postquam Eteoclem, ne cum fratre dimicaret, frustra conatus est impedire, dicit v. 716: ‘sed etiam turpem victoriam, hoc est victoriam a militibus pro imperatore partam, honore adficit deus’, cf. v. 679—685; unde apparet *νίκην κακήν* esse *νίκην μετ᾽ αἰσχύνης.* sic enim lectionem traditam explicari et retineri posse puto, conlato

inprimis poetae nostri fragmento 302 N²: ψευδῶν δὲ καιρὸν ἔσθ' ὅπου τιμᾶι θεός. itaque abstinendum esse ab omni mutatione censeo, vel ab ea quae et facillima est et optimum sensum reddit: τιμᾶν ἔθος. deinde Eteocles, qui chori κακὴν νίκην excipit verbis τοῦτο ἔπος, non decere respondet bellatorem hoc vocabulum. itaque cum sententiae planissimae sint, quo iure Weil v. 716 intra lacunae signa positum Eteocli tribuerit et alii aliis coniecturis factis remedia admoveri oportere opinati sint, non intellego.

Neque aliter rem se habere arbitror in v. 719, quem, ut in M¹ traditus est, supra adscripsi: 'nunquam effugies mala quae dei dant'. nam manus recentior ἐκφύγοις in ἐκφύγοι correxit. Eteocles igitur, ut nemo ea fata, quae divinitus accidant, possit effugere, ita nunc sese in pugnam cum fratre ultro agi rapique dicit. pulcerrime igitur haec sententia quasi generalis totam scaenam ita concludit, ut audientium animi multo metu percutiantur futuraque praesagiant. ac videas quanta arte quantoque ingenio efficiatur, ut cum his Eteoclis ultimis verbis chorici insequentis cantici sententia conspiret, cuius initium est: πέφρικα τὰν ὠλεσίοικον θεόν! itaque perperam mihi esse videntur mutationes Nauckii ἐκφύγοιν, aut Weilii codicem M² secuti ἐκφύγοι. accedit quod, si ita scribatur, versus ad Polynicem spectet ideoque sic intellegi debeat: 'si dei dabunt, non effugiet fata', id quod toti dramatis sententiae minime respondet (cf. 684, 691, 702, saepius.).

³¹) Haud enim frustra, ut in pervestiganda Aeschylea tragoedia caute ageretur, moniturum fuisse spero Wilamowitzium, qui dicit in Hermae XXXII, 387: 'Überhaupt bietet jedes Drama des Aischylos Singularitäten, und gerade wer die feste Praxis der späteren Tragödie sich klar zu machen sucht, wo wir reiches Beobachtungsmaterial haben, sollte in der Zeit der Entwicklung, für die wir nur ein par Belege leider haben, das Generalisieren scheuen.'

³²) Prom. v. 968 sq. Mercurio recte tribuit Erfurdt.

cuius sententiam si quis impugnare instituat, acerbas facetias contra Prometheum iactatas non recte eum intellegere contendam. quo autem iure Keck et Weil ante v. 970 lacunam statuerint, nescio; neque enim quam sententiam versus, quem excidisse putant, comprehenderit excogitari potest neque ullae quae fictae sunt stichomythicae regulae huc faciunt.

[33]) Versum 937, quia vices sermonis turbaret, primus delevit Badham, eumque secuti omnes editores praeter Kirchhoffium et Bruhnium. at locum si accuratius aspexeris, rem ita se habere cognosces. primum ipsa stichomythia non ante v. 936 incipit, ita ut v. 934 sq., qui tamquam prooemii locum tenent, cum ea omnino non liceat coniungi. deinde etsi vv. 11, 17, 283, 288 de saxis grandibus, quae dicuntur, et de spelunca iam dictum esse viris doctis concedendum est, tamen non esse reor, cur hic, ubi Creusa planius senem omnia docere vult quae olim sibi acciderint, diligentissima regionis descriptio deleto illo versu debilitetur. quid, quod vaticiniae artis compos esse debet senex, si ex verbis Creusae: *οἶσθα Κεκροπίας πέτρας* (i. e. nostine arcem Athenarum?), quo certe ex Atheniensi nihil quaeri potest ineptius, divinare potest de Panis spelunca dictum iri. nam profecto et in arce et prope eam multa templa sunt et arae multae; prope saxa grandia nulla nisi Apollinis et Panis. itaque versu illo suspecto 937 nullo modo carere possumus.

[34]) I. T. v. 736, qui iam Badhamio suspectus erat, a Nauckio uncis inclusus est, quod et superfluus esset et sermonem alternum interrumperet; Weil autem ideo eum delevit, quod novenorum versuum ordinem consequi studebat. sed tantum abest, ut initio stichomythiae tales regulae valeant, ut versus prorsus sit necessarius. quamquam enim Orestes et Pylades e v. 582 sqq. iam satis compertum habent, quo alteruter delaturus sit literas, et quamquam idem in v. 733 haud dubiis verbis indicatum

est, tamen cum Iphigenia iusiurandum praeiverit, iterum totum mandatum disertis verbis exprimi necesse est.

[35]) V. 710 genuinum esse mihi persuasum est, sed in fine corruptus est, cum duo ultima verba *Καδμείων πόλιν* ex v. 712 perperam praerepta sint. atque ab hoc ipso demum versu stichomythia incipit, ut res eodem modo se habeat atque illis locis, de quibus supra disputavimus.

[36]) Hic versus a plurimis editoribus deletur, et quia stichomythiam interrumpat et quia ad exemplum v. 1448 confectus huc insertus sit. at primum hoc loco quasi summam rei dari consentaneum est, ut duos continuos versus ab Iphigenia dici mirum non sit. neque enim solum capillum tondent, qui luctum ostentant, verum etiam lugubres vestes induunt. deinde, si v. 1438 deleatur, *μηδ᾽ ἀμφὶ κείναις* in v. 1448 non habeat quo spectet. at tamen vereor, ut omnino hi versus in censum veniant. etenim tam male dictum esse v. 1437 *μήτ᾽ οὖν γε* me docuit Wilamowitz, ut dubitandum sit, num hi versus ab ipso Euripide profecti sint.

[37]) Pulcerrimum v. 764 expunxit Lobeck; sed talia ab interpolatore inserta esse quis est qui credat? immo post v. 763 unum Adrasti versum intercidisse omnes fere v. d. recte statuunt, cum neque *φαίης ἄν* habeat, quo pertineat, neque quo consilio Euripides hoc loco stichomythiam interruperit, omnino possit intellegi.

[38]) Post v. 651 Kirchhoff et Weil summo iure lacunam indicaverunt, cum cur Euripides hoc loco stichomythiae perpetuitatem interruperit nequeat intellegi. accedit quod v. 651 cum versu sequenti coniungi non potest; neque enim ulla particula a versu antecedenti in versum sequentem traducit, et *ἀπάγγελλε* pessime repetit illud *λέγε*. itaque qui excidit versus ieiunam aliquam vilemque sententiam debet comprehendisse. hoc modo melius mihi videtur refici locus, quam si amplectamur Weilii opinionem, qui v. 651 sic fortasse scribendum

esse putat: *ἔχω, γεραιέ, τάδε· Κλυταιμήστραι μολών.* (cf. El. 570, 577; Or. 863).

39) De hoc loco confer, quae in adnot. 6 dixi.

40) Totam stichomythiam recte restituit Robert, qui in Hermae XIII, 136 post v. 652 complures versus intercidisse cognovit.

41) Hunc locum, qui ad recte intellegendum admodum difficilis est, totum adscribo:

ΗΡ. οὐ χρῆν μ᾽ ὀθνείου γ᾽ εἵνεκ᾽ εὖ πάσχειν νεκροῦ;
ΘΕ. ἦ κάρτα μέντοι καὶ λίαν οἰκεῖος ἦν.
ΗΡ. μῶν ξυμφοράν τιν᾽ οὖσαν οὐκ ἔφραζέ μοι;
ΘΕ. χαίρων ἴθ᾽· ἡμῖν δεσποτῶν μέλει κακά.
ΗΡ. ὅδ᾽ οὐ θυραίων πημάτων ἄρχει λόγος.
ΘΕ. οὐ γάρ τι κωμάζοντ᾽ ἂν ἠχθόμην σ᾽ ὁρῶν.
ΗΡ. ἀλλ᾽ ἦ πέπονθα δείν᾽ ὑπὸ ξένων ἐμῶν.
[*ΘΕ. οὐκ ἦλθες ἐν δέοντι δέξασθαι δόμοις·*
πένθος γὰρ ἡμῖν ἔστι καὶ κουρὰν βλέπεις
μελαμπέπλους στολμούς τε. ΗΡ. τίς δ᾽ ὁ κατθανών;
μῶν ἢ τέκνων τι φροῦδον ἢ πατὴρ γέρων;]
ΘΕ. γυνὴ μὲν οὖν ὄλωλεν Ἀδμήτου, ξένε.
ΗΡ. τί φής; ἔπειτα δῆτά μ᾽ ἐξενίζετε; κτέ.

primum v. 818—820, ut in codd. traduntur, in suspicionem cadunt, et quia stichomythiam interrumpunt et quia mirum est v. 819 contra Euripideam consuetudinem discerpi. auget suspicionem scholiasta, qui horum versuum tres, v. 818—820, ut vulgo putant, non in omnibus libris legi testatur. itaque multi de hoc loco multa protulerunt, quae probari nequeant. Wilamowitz in 'Anal. Eurip.' accuratius de eo egit, dum versibus 818—820 deletis cum Hermannio lacunam statuit; Hannemüller etiam v. 817 expunxit, Nauck scholii verbis mutatis quatuor versus censet esse delendos, nimirum 816—819. sed nuperrime Wilamowitz me docuit rem aliter sese habere; tres enim illos versus, quos scholiasta in nonnullis libris

non legi testaretur, potius v. 817—819 esse, v. 820 autem ab interpolatore additum esse, qui sententiarum conexu inter v. 816 et v. 821 non recte intellecto responsioni servi (821) aliquam Herculis interrogationem praemittere voluisset. optime autem cohaerere sententias versuum 816 et 821 hinc elucet: Hercules postquam mulierem mortuam Admeto caram esse sensit, dicit v. 816: 'ergo Admetus me fefellit'; et extemplo servus tamquam corrigens Herculis verba (*μὲν οὖν*) et indignatus veritatem aperit. ita sententiarum conexus integer est.

[42]) Hic versus e Phoen. 972 huc translatus est (cf. etiam Hel. 805).

[43]) Ceterum haud scio an etiam vetustior sit haec tragoedia; sed certissimum est nullam ea vetustiorem ad nos pervenisse. itaque minime adridet opinio Bücheleri, qui in Mus. Rhen. XI, 628 (cf. etiam Dieterichum apud Wissowam sub voce 'Aischylos') in versibus 144 sqq.: *θέλουσα δ' αὖ θέλουσαν ἁγνά μ' ἐπιδέτω Διὸς κόρα ἔχουσα σέμν' ἐνώπι' ἀσφαλές· παντὶ δὲ σθένει διωγμοῖς ἀσφαλέας ἀδμῆτας ἀδμήτα ῥύσιος γένοιτο* verbis illis *σέμν' ἐνώπια* Parthenonem significari putat. immo si quidem, id quod tamen praefracte nego, de certo aliquo templo arcis Atheniensis poeta cogitavit, non ad Parthenonem, sed ad Hecatompedon, ea aetate etiam integrum, verba referenda sunt. neque magis placent, quae nuper Loeschke in 'Arch. Jahrb.' 1904 de hoc loco disputavit.

[44]) V. 906 et 907 summo iure Wilamowitz delevisse mihi videtur praeeunte Berlagio. neque enim solum, ut ait v. d., Euripideam dicendi rationem prae se ferunt, verum etiam ex v. 894 sq. prave conficti esse videntur.

[45]) Haec observatio ad tragoediae tempus definiendum plurimum valet. nam certum quidem terminum, post quem Prometheum compositam esse necesse est, et poetae peregrinatio Siciliensis et Aetnaeornm ignium eruptio praebent; terminum vero, ante quem condita est, minus sane certum nova scaenae institutio praebet, quam

anno 458 iam fuisse confectam scimus, qua tamen iam ante Orestiam Aeschylum usum esse et Myrmidones (cf. fr. 131) et Lycurgea probant (cf. G. Haupt 'Comment. archaeol. in Aeschylum' in Diss. Hal. XIII p. 142). minus certum autem hunc terminum esse dixi, quod etiam post novae illius scaenae inventionem fabulas antiquo more agi non statim desiisse consentaneum est. sed Wilamowitz terminis illis tamquam certis nisus in Herm. XXI, 611 adnot. circa annum 468 actam esse suspicatus est illam tragoediam, cum in uno, quod nobis superest, Sphingis fragmento, quam fabulam satyricam una cum trilogia Thebana 467 actam esse constat, adluderet poeta ad ea verba, quae ipse in Prometheo *πυρφόρωι* edidisset:

τῶι δε ξένωι γε στέφανος ἀρχαῖον στέγος
δεσμῶν ἄριστος ἐκ Προμηθέως λόγου.

at hanc argumentationem incertam esse me docuit Robert, quia illa verba etiam ad ipsum mythum omnibus notum spectare possent. itaque dum et prologi formam consummatam et, ut de canticis taceam, diverbium considero, quo perfectius excepta dumtaxat Orestia in Aeschyleis tragoediis nullum invenitur, inter Orestiam et trilogiam Thebanam circa annum 460 scriptam esse arbitror Prometheum.

[46]) In singulis episodiis adscribendis utor dissertatione nuperrime edita Demetrii Detscheff 'de tragoediarum Graecarum conformatione scaenica ac dramatica', 1904.

(Tota dissertatio lingua Germana conscripta Berolini apud Weidmannos prodibit.)

Index locorum
de quibus in adnotationibus accuratius actum est.

Vita.

Natus sum ego Johannes Godofredus Adolphus Gross a. d. V. Kal. Dec. anni MDCCCLXXX Hannoverae patre Christopho professore ac puerorum praeceptore, matre Carolina e gente Haage, quos parentes adhuc superstites esse valde laetor. fidei addictus sum evangelico-luthericae. gymnasium frequentavi vetustissimum illud quod vocatur Lyceum primum, cui florentissimae studiorum sedi olim praeerant inlustres viri Grotefend et H. L. Ahrens, nunc praeest litterarum optimus fautor Capelle.

Novem annorum spatio peracto mense Martio anni MDCCCLXXXXIX maturitatis testimonium adeptus primum Monaci studiis mathematicis et physicis, quorum tum quasi recenti amore flagrabam, me dedi. sed mox renovato veterum linguarum amore ex infantia mihi insito post sex menses Halas me contuli, cuius universitatis per ter senos menses fui civis. ibi in studia et Graeca Romanaque et Germanica incubui admixtis modice archaeologicis sanscriticis philosophis. quae studia postquam Berolinum transmigravi, per quater senos menses continuavi. denique iterum Halas reversus per ter senos menses ibi scholas audivi. docuerunt me viri clarissimi: Cornelius, Graetz, de Weber, Brunn, de Pfordten Monacenses; de Wilamowitz-Moellendorff, Diels, Heinze, Vahlen, Helm, Ed. Meyer, Kekule de Stradonitz, Roediger, Roethe, E. Schmidt, Herrmann Berolinenses; Robert, Blass, Wissowa, Dittenberger, Pischel, Strauch, Berger, Haym, Riehl, Vaihinger, Lindner, Fries Halenses. quibus omnibus,

quod fecunda semina in me sparserunt, gratias habeo. praeterea per octies senos menses sodalis fui et proseminarii et seminarii philologi, quibus exercitationibus ut adessem benigne concesserunt de Wilamowitz, Diels, Heinze, Helm Berolinenses, Blass, Wissowa, Dittenberger Halenses. interfui etiam archaeologicis exercitationibus quas Kekule, germanicis quas Berger, philosophis quas Riehl moderabatur. cum omnibus his clarissimis atque inlustrissimis viris tum eis, qui summa erga me benevolentia usi in conscribendo opusculo meo benigne me adiuverunt, de Wilamowitz, Diels, Robert, gratias quam maximas habeo semperque habebo.